NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 L
20 M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
27

12.3.55.
12
b

Digitized by Google

JOSEPHI WEISSENBACH
BREMGARTENSIS HELVETII
THEOLOGIÆ DOCTORIS

DE
ELOQUENTIA
PATRUM
LIBRI XIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN USUM
ECCLESIASTICORUM.

VOLUMEN VI.
Operis LIBROS VIII. & IX. complectens.

SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMTIBUS FRATRUM VEITH BIBLIOPOLARUM.

MDCCLXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Equidem jam quarto Libro, quanta Patrum in movendo efficacia eſſet, ſatis, ſuperque ut opinor, oſtenſum eſt. Nam & præcepta ex iis dedimus huc ſpectantia, & exempla quoque omnis generis non pauca adduximus, quibus præcepta illuſtrarentur. Quamobrem ſilere hic poteram de *Affectibus*, ut qui, quod pollicitus fueram, abunde ibi præſtitiſſem. Verum quo majorem ab iis gratiam inirem, qui Patrum opera ad manus ipſi non habent, vel ſi habent, per negotia rarius ad illa accedere poſſunt, imperavi mihi denique, uti ad omnes ſpeciatim affectus progrederer, atque ita oſtenderem Lectoribus meis, qua ratione eoſdem jam ſuſcitare debeant, jam ſopire, aut ſaltem temperare. Neque tamen anxiam Scholarum diſtributionem ſequendam mihi putavi, neque admodum ſolicitus de eo fui, ad quam quisque Claſſem pertineret, ac potius ad ordinem *originariorum*, quos dicunt, quam *derivatorum* referendus eſſet. Hæc enim, & ejus generis alia diſcernere ad Philoſophos morales ſpectant, & egregie vel ab iis quoque eſt præſtitum, qui accuratius ceteris, & copioſius de Rhetorica ſcripſerunt. A meo autem propoſito id abiret longiſſime, ſed neque ad praxin faceret, quam tamen, ut in plerisque libris noſtris, ſi non unice at præcipue profitemur. Juverit hic in manus ſumere Poëtam inſignem, Patrem Brumois, qui de *Motibus Animi* venuſtiſſimo carmine eſt commentatus.

ELEN-

Elenchus Voluminis VI.

Liber VIII.

De Eloquentia Patrum.

Specimina omnium ſpeciatim Affectuum, ſeu excitandorum, ſeu ſedandorum profert.

Caput I. Specimina *Admirationis & Stuporis.* pag. 1
Caput II. Specimina *Amoris.* - - 6
Caput III. Specimina *Audaciæ.* - - 13
Caput IV. Specimina *Commiſerationis.* - 21
Caput V. Specimina *Deſiderii.* - - 28
Caput VI. Specimina *Deſperationis.* - 33
Caput VII. Specimina *Doloris ac Pœnitudinis.* 38
Caput VIII. Specimina *Gaudii & Delectationis.* 43
Caput IX. Specimina *Gratitudinis.* - 47
Caput X. Specimina *Indignationis, Iræ, Averſationis, Odii.* - - 52
Caput XI. Specimina *Invidiæ ac Æmulationis.* 65
Caput XII. Specimina *Pudoris & Verecundiæ.* 71
Caput XIII. Specimina *Spei & Fiduciæ.* - 81
Caput XIV. Specimina *Timoris.* - - 84
Caput XV. Specimina *Triſtitiæ.* - - 104

* * *

Liber IX.

De Eloquentia Patrum.

Praxin docet, Patribus ad Oratoriam ſacram rite utendi.

Diſſertatio I. De ratione Patres *legendi.* pag. 117
Diſſertatio II. De ratione Patres *adnotandi.* 184
Diſſertatio III. De ratione Patres *allegandi.* 205
Diſſertatio IV. De ratione Patres *imitandi.* 229
Supplementum præcedentium IX. Librorum. 285

DE ELO-

DE
ELOQUENTIA PATRUM
LIBER VIII.

Specimina omnium ſpeciatim Affectuum, ſeu excitandorum, ſeu ſedandorum profert.

CAPUT I.
Specimina Admirationis & Stuporis.

Parum ſane aberit, quin aliqui ad primum hujus capitis conſpectum palam indignentur, ut qui admirationem, & ſtuporem inter affectus videant a nobis collocari. A quibus ſane pro ea, qua eſſe alias ſolent humanitate, non petimus, ſed poſtulamus, uti illud apud ſe expendant, admirationem, etſi ad intellectum referatur, non ad voluntatem, tamen plerumque cum aliis affectibus, præſertim majoribus, tam intime connexam eſſe, & veluti fœderatam, uti eosdem vel præcedat ſemper, vel ſequatur, vel etiam comitetur. Unde tritum illud: *Magni affectus ſtupent.*

Digitized by Google

Quam ipſam ob rem plurimum habet uſum, etiam apud Patres, atque ita a negotio affectuum minime abſtrahendam, ſed illi ſi non adjungendam, certe præmittendam putavi. Quo modo vero illam excitant ſancti Doctores? hoc: *recentem rerum converſionem, nemini exſpectatam* exhibent: *cæcitatem* item, *temeritatem, ingratitudinem, perfidiam mortalium; Res* a ſanctis, aliisque magnis viris *præter communem modum geſtas*, Myſteria, & dogmata Religionis proponunt, divinasque perfectiones, maxime providentiam, & innumera in nos maximaque beneficia collata; quæ ut meritum, ita captum quoque quam longiſſime ſuperant: tanta in iis noſtrum omnium exaltatio, tanta Dei demiſſio eſt.

Porro admirationem viciſſim temperare Patres ſolent, quoties detrimento eſſe, atque ad ſequiores affectus pertrahere nonnullos poſſet. Quod tum præcipue habet locum, ubi de Dogmatis quibusdam magis implexis, puta de *judiciis, præceptisque divinis*, de *peccato originario*, de *æternitate pœnarum*, de *Myſterio Trinitatis, Euchariſtiæ* &c. agendum eſt. Tum enim præclare anguſtias intellectus noſtri cauſantur, oſtenduntque ne naturalibus quidem rebus capiendis pares nos eſſe: confugiunt ad divinam juſtitiam, ſapientiam, bonitatem, potentiam, ex tot aliis rebus evidenter compertam, cauſantur inolitos errores, corruptum affectibus judicium, præconceptas a teneris opiniones, & quæ ſunt ejusmodi. Quod dum faciunt, laconicis ut plurimum, & decretoriis reſponſis utuntur, ut quibus in tali negotio nihil ſive præſentius, ſive accommodatum magis. Fuſum, & grave admirationis ſpeccimen habemus apud divum Gregorium Nyſſenum. Oratione VII. de Beatitudinibus: in illud: *Quoniam filii Dei vocabuntur;* verum omiſſo eo malumus breviora tranſcribere.

S. Pe-

S. Petrus Chryſologus, ubi *ſermone* 72. orationem Dominicam incipit explanare. Sic autem illa habet:

„*Pater noſter, qui es in cœlis.* Hoc eſt, quod „pavebam dicere: hoc eſt, quod trepidabam proferre: hoc eſt, quod neque cœleſtium, neque „teneſtrium quemquam ſinebat ſervitutis propriæ „conditio ſuſpicari. Cœli & terræ, carnis, & „Dei repente tantum poſſe provenire commercium, „ut Deus in hominem, homo in Deum, Dominus in ſervum, ſervus verteretur in filium, fieretque divinitatis, & humanitatis ineffabili modo „una, & ſempiterna cognatio. Et quidem Deitatis erga nos dignatio tanta eſt, ut ſcire nequeat, „quid potiſſimum mirari debeat creatura: utrum, „quod ſe Deus ad noſtram depoſuit ſervitutem, an „quod nos ad ſuæ divinitatis rapuit dignitatem. „

Huic quoque præſertim quoad enuntiandi modum affinis eſt ſtupor ille Bernardi, qui *ſermone* 1. ſuper: *Miſſus eſt*, ad verba: *Et erat ſubditus illis* hunc in modum exclamat.

„Quis? quibus? Deus hominibus. Deus, in„quam, cui angeli ſubditi ſunt, cui principatus, „& poteſtates obediunt, ſubditus erat Mariæ! nec „tantum Mariæ, ſed etiam Joſeph propter Mari„am. Mirare ergo utrumlibet, & elige, quid am„plius mireris, ſive filii benigniſſimam dignatio„nem, ſive matris excellentiſſimam dignitatem. „Utrinque ſtupor, utrinque miraculum! & quod „Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque „exemplo, & quod Deo fœmina principetur, „ſublimitas ſine ſocio. In laudibus virginum ſin„gulariter canitur, quod ſequuntur agnum, quo„cunque jerit: quibus ergo laudibus judicas di„gnam, quæ etiam præit? diſce homo obedire, „diſce terra ſubdi, diſce pulvis obtemperare &c.

Præſtans item, & plane nativum admirationis exemplum Chryſoſtomus dedit *homilia: cum Preſbyter fuit ordinatus.* Vere enim hominem præfert totum obſtupeſcentem ad dignitatem ſibi collatam, qui hinc indignitatem ſuam, inde rei magnitudinem penſans vix, ac ne vix quidem colligere ſe poteſt ex admiratione. Verum id ſchema dabo inferius, ubi *de Modeſtia* agam; ibi enim commodius adſcribetur, quo ſcilicet poſſit & ipſe Lector tantam viri demiſſionem obſtupeſcere.

Salvianus admirationem inter ætatis ejus calamitates exortam: cur melior multo barbarorum, quam Chriſtianorum conditio eſſet: cur inter ipſos chriſtianos ſors bonorum durior, quam malorum: cur probi jacerent, improbi convaleſcerent: cur rapacium poteſtatum violentiæ univerſa ſuccumberent, ita egregie retundit initio *Libri III. de Gubernatione Dei*:

„Poſſum quidem rationabiliter, & ſatis con„ſtanter dicere: neſcio. Secretum enim & conſi„lium divinitatis ignoro. Sufficit mihi ad cauſæ „hujus probationem dicti cœleſtis oraculum. Deus „a ſe, ut libellis ſuperioribus jam probavimus, „omnia dicit aſpici, omnia regi, omnia judicari. „Si ſcire vis, quid tenendum ſit, habes literas ſa„cras. Perfecta ratio eſt hoc tenere, quod lege„ris. Qua cauſa autem Deus hæc, de quibus „loquimur, ita faciat, nolo a me requiras. Ho„mo ſum; non intelligo: ſecreta Dei inveſtigare „non audeo, & ideo etiam attentare formido; „quia & hoc ipſum genus quaſi ſacrilegæ temeri„tatis eſt, ſi plus ſcire cupias, quam ſinaris. Suf„ficiat tibi, quod Deus a ſe agi, ac diſpenſari cun„cta teſtatur. Quid me interrogas, quare alter „major ſit, alter minor, alter miſer, alter beatus, „alter fortis, alter infirmus? qua cauſa quidem „hæc Deus faciat, non intelligo; ſed ad pleniſſi-

„mam

„mam rationem abunde ſufficit, quod a Deo agi „iſta demonſtro. Sicut enim plus eſt Deus, quam „omnis humana ratio, ſic plus mihi debet eſſe, „quam ratio, quod a Deo agi cuncta cognoſco. „Nihil ergo in hac re opus eſt novum aliquid au„dire, ſatis ſit pro univerſis rationibus Auctor „Deus. Nec licet, ut de his, quæ divino agun„tur arbitrio, aliud dicas juſtum, aliud injuſtum; „quia quidquid a Deo agi vides, atque convin„ceris, neceſſe eſt plus quam juſtum eſſe fatearis. „Hæc ergo de gubernaculo Dei atque judicio ex„peditiſſime, ac fortiſſime dici poſſunt. Neque „enim neceſſe eſt, ut argumentis a me probetur, „quod hoc ipſo, quia a Deo dicitur, comprobatur. „Itaque cum legimus, dictum a Deo, quia aſpi„ciat jugiter omnem terram, hoc ipſo probamus, „quod aſpicit; quia aſpicere ſe dicit: cum legi„mus quod regat cuncta, quæ fecit, hoc ipſo ap„probamus, quod regit; quia ſe regere teſtatur: „cum legimus, quod præſenti judicio univerſa di„ſpenſet, hoc ipſo eſt evidens, quod judicat, quia „ſe judicare confirmat. Alia enim omnia, id eſt „humana dicta, argumentis, ac teſtibus egent. „Dei autem ſermo ipſe ſibi teſtis eſt. Quia ne„ceſſe eſt, quidquid incorrupta veritas loquitur, „incorruptum ſit teſtimonium veritatis.„

S. Iſidorus Peluſiota *Libro V. epiſt.* 278. miranti communem Sacerdotii contemptum hæc laconice reſpondet:

„Miraris tu quidem, cur apud majores ſince„rus eſt ab omnibus honor Sacerdotibus habitus, „nunc vero prudentia pleni homines aperte eos re„prehendant: alii coram quidem reverentur, oc„culte vero criminantur: & alii quidem fugiunt, „alii vero ipſis abblandientes, quo moliri inſidias „queant, obtrectant? Verum id ego nihil miror.

„Cum enim eadem cum ipſis non agant nec eadem etiam conſequuntur, ſed illis contraria „molientes contraria experiuntur. Contra enim „admirandum eſſet, ſi qui nihil par majoribus * „agant, parem cum illis honorem conſequerentur.„

CAPUT II.

Specimina Amoris.

Hunc Patres excitant erga Deum, & divina omnia, erga nos ipſos, erga proximum quemque, & ipſos adeo inimicos. *Erga Deum* quidem, explicando *infinitas* ejus *perfectiones*, *beneficia ineffabilia*, *amorem* in nos jugiter ardentem, *communionem* cum natura noſtra, *mortem* pro nobis obitam, datam toties, ultroque oblatam *veniam*, *pœnas* ipſas *ideo ſolum inflictas*, *quo majores, & æternas* antevertat: *præmia* dein promiſſa, & beatitudinem eandem, qua ipſe fruitur: denique *deſiderium*, quo redamari a nobis cupit, indolemque amoris ejus, qua nihil excellentius, utilius nihil, ſuaviusque, aut neceſſarium magis. *Erga nos ipſos*, *dignitatem animæ*, *pretium Redemptionis*, *momentum ſalutis* &c. ob oculos ponendo. *Erga proximum* commemorando *mandatum*, & ſanctiſſimam voluntatem Dei, docendo, proximum eſſe illius *imaginem*, in Chriſto intime nobis *unitum*, *a Deo* ipſo ſupra omnem modum *amatum*: in amore ejus ſummam uti *æquitatem*, ſic *ſuavitatem* reperiri, nullumque certius *pignus amoris Dei*, quam ſi proximum vere, atque ex animo diligamus. *Erga inimicos* excitant cum his ipſis motivis, quæ proximum quemque reſpiciunt, tum aliis ſpecialibus: quæ ne quid inutiliter repetatur, infra dabimus, ubi de *affectu odii* ſermonem inſtituemus.

Contra amorem *temperant*, vel *extinguunt*, quotes

* Majoribus ſcilicet, ſeu antiquis ſacerdotibus.

ties minus ordinatus eſt', ſive erga ſe ipſum, ſive erga ſuos, ſive erga alias quascunque creaturas; maxime vero erga *corpora formoſa*, *mundum*, *vitamque* præſentem, declarando, quam ſit hic amor contra *finem* noſtrum, contra *præcepta* Dei, & *Evangelium*, quam turpiter plerumque *decipiat*, quam multorum *cauſa malorum*, quam nos *deprimat*, atque in ſervitutem trahat, quam difficiles, atque horrendos habeat *exitus*, quam ſint alia amatu digniora &c. quæ infra, cum de *Deſiderio*, & *gaudio* dicetur, fuſius explicabo. Sed & illa uſus eſſe poterunt, quæ in Locis communibus de *Amore* ſui, atque *ſuorum*, de *mundo*, de *vita præſente*, de *luxuria*, de *forma*, ſeu pulcritudine, de *divitiis*, de *honoribus*, aliisque ejusmodi magna copia habentur. His præmiſſis exempla danda ſunt.

Amorem noſtrum in Deum ex perfectionibus, & bonitate ejus ineffabili ita accendit S. Anſelmus *Proſologii: cap.* 24. & 25.

„Excita te nunc anima mea, & erige totum in„tellectum tuum, & cogita quantum potes, quale „& quantum ſit illud bonum. Si enim ſingula „bona delectabilia ſunt, cogita intente, quam de„lectabile ſit illud bonum, quod continet jucun„ditatem omnium bonorum, & non qualem in re„bus creatis ſumus experti, ſed tanto differentem, „quanto differt Creator a creatura. Si enim bona „eſt vita creata, quam bona eſt vita creatrix? ſi ju„cunda eſt ſalus facta, quam jucunda eſt ſalus, quæ fa„cit omnem ſalutem? ſi amabilis eſt ſapientia in co„gnitione rerum conditarum, quam amabilis eſt ſa„pientia, quæ omnia condidit ex nihilo? denique „ſi multæ, & magnæ delectationes ſunt in rebus „delectabilibus, qualis, & quanta delectatio eſt „in illo, qui fecit ipſa delectabilia? Qui hoc bono „fruetur, quid illi erit: quid illi non erit? certe, „quidquid volet, erit, & quid nolet, non erit. Ibi

„quippe erunt bona corporis, & animæ, qualia „nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor ho„minis cogitavit. Cur ergo per multa vagaris „homunico quærendo bona animæ tuæ, & cor„poris tui? ama unum bonum, in quo ſunt om„nia bona, & ſufficit. Deſidera ſimplex bonum, „quod eſt omne bonum, & ſatis eſt.„

Amorem Dei in nos præclare oſtendit Salvianus *Libr.* 4. *de Gubernatione, ante medium.* Cum enim de omnium animalium in proles ſuas amore dixiſſet, locum affert, quem Raynaudus *Tom. I. pag.* 513. *omni ſeſamo ſapidiorem* dicit.

„Deus ergo, qui etiam minimis animantibus „hunc affectum proprii operis inſeruit, te tantum„modo ſolum creaturarum ſuarum amore privavit? „præſertim cum omnis in nos rerum bonarum „amor ex illius bono amore deſcenderit. Ipſe „eſt enim fons, & origo cunctorum, & quia in „ipſo, ut ſcriptum eſt, & vivimus, & movemur, „& ſumus, ab ipſo utique affectum omnem, quo „pignora noſtra amamus, accepimus. Totus nam„que mundus, & totum humanum genus, pignus „eſt creatoris ſui. Et ideo ex hoc quoque affe„ctu, quo amare nos fecit pignora noſtra, intel„ligere, nos voluit; quantum ipſe amaret pignora „ſua. Sicut enim, ut legimus, inviſibilia ejus „per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: „ita amorem erga nos ſuum per eum, quem no„bis erga noſtros dedit amorem, voluit intelligi. „Et ſicut omnem, ut ſcriptum eſt paternitatem in „cœlo, & in terra a ſe ipſo voluit nominari, ſic „a nobis patris in ſe affectum voluit cognoſci. Et „quid dicam patris, imo potius plus quam patris? „Probat quippe hoc vox Salvatoris in Evangelio „dicentis: *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum* „*unicum daret pro mundi vita.* Sed & Apoſtous „dicit: *Deus,* inquit, *filio ſuo non pepercit, ſed pro* „*nobis*

„*nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam* „*cum illo nobis omnia donavit?* hoc eſt ergo illud, „quod ſupra dixi, quia plus nos amat Deus, quam „filium pater. Evidens quippe res eſt, quod ſu- „per affectum filiorum nos Deus diligit, qui pro- „pter nos filio non pepercit. Et quid plus? addo, „& hoc filio juſto, & hoc filio unigenito, & hoc „filio Deo! & quid dici amplius poteſt? & hoc „pro nobis, id eſt pro malis, pro impiiſſimis, pro „iniquis. Quis æſtimare hunc erga nos Dei amo- „rem queat, niſi quod juſtitia Dei tanta eſt, ut in „eum aliquid injuſtum cadere non poſſit? nam „quantum ad rationem humanam pertinet, inju- „ſtam rem homo quilibet fecerat, ſi pro peſſimis „ſervis filium bonum occidiſſet. Utique hoc ma- „gis inæſtimabilis pietas, & hoc mirabilis magis „Dei virtus eſt, quod ita intelligi ab homine ma- „gnitudo juſtitiæ ſuæ non poteſt: ut, quantum „ad imbecillitatem humanam pertinet, pæne inju- „ſtitiæ ſpeciem magnitudo juſtitiæ habere videatur. „Et ideo Apoſtolus ad indicandam nobis aliquate- „nus divinæ miſericordiæ immenſitatem ſic ait: „*ut quid enim Chriſtus, cum adhuc impii eſſemus,* „*ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt? vix enim* „*pro juſto quis moritur.* Oſtendit profecto nobis „una hæc ſententia pietatem Dei. Nam ſi vix „ullus pro ſumma juſtitia mortem ſuſcipit, proba- „vit Chriſtus, quantum præſtiterit pro noſtra ini- „quitate moriendo. Sed hoc cur fecerit domi- „nus, ſtatim in ſubditis docet, dicens: *Commendat* „*autem ſuam charitatem Deus in nobis*; nam ſi, cum „adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis „mortuus eſt, *multo magis igitur juſtificati nunc in* „*ſanguine ipſius ſalvi erimus ab ira per ipſum.* Hoc „ipſo ergo gratiam commendat, quia pro impiis „mortuus eſt. Majoris enim pretii eſt beneficium, „quod præſtatur indignis. Idcirco itaque ait:

„*commendat ſuam charitatem Deus in nobis.* Quo-
„modo commendat? ſcilicet, quia non merenti-
„bus præſtat. Si enim ſanctis, & bene meritis
„præſtitiſſet, non videbatur, quæ non debuerat præ-
„ſtitiſſe, ſed quæ debuerat, reddidiſſe. Quid ergo nos
„pro his omnibus retribuimus, vel potius quid re-
„tribuere debemus? primum ſcilicet illud, quod bea-
„tiſſimus Propheta ei debere ſe, & redditurum eſſe
„teſtatur, dicens. *Quid retribuam Domino pro om-*
„*nibus, quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris acci-*
„*piam, & nomen Domini invocabo.* Prima ergo
„hæc retributio eſt, ut mortem morte reddamus,
„ac pro eo, qui mortuus eſt pro nobis, nos mo-
„riamur omnes, tametſi minoris multo pretii mors
„noſtra eſt, quam ſua. Quo fit, ut etiamſi mor-
„tem ſuſcipiamus, debitum tamen non exſolvamus.
„Sed tamen; quia majus referre non poſſumus,
„totum reddere videmur, ſi totum, quod poſſu-
„mus, reddere curamus. Itaque prima, ut dixi
„hæc retributio eſt. Secunda autem, ut ſi debi-
„tum morte non ſolvimus, vel amore ſolvamus.
„Nam ipſe ſalvator ideo, ut ait Apoſtolus, mori-
„endo pro nobis commendare voluit omnibus cha-
„ritatem ſuam. ut nos ad reddendam pietatem tanta
„viciſſitudine pietatis ſuæ traheret, ſicut illas naturæ
„admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propius ad-
„motæ duriſſimum licet chalybem affectu quaſi
„ſpirante ſuſpendunt: ita etiam ille, id eſt ſumma,
„& clariſſima regnorum cœleſtium gemma hoc
„ſcilicet voluit, ut dum ſe licet duriſſimis nobis
„deſcendens de cœlo propius adjungeret, affectu
„ſuo nos quaſi amoris ſui manibus admoveret, ut
„agnoſcentes utique dona ſua, ac beneficia, intel-
„ligeremus, quid nos Domino tam bono facere
„conveniret, cum ille pro malis ſervis tanta feciſ-
„ſet: & compleretur hoc, quod Apoſtolus dicit:
„ut mortificaremur charitate illius tota die, & ne-
„que

„que tribulatio, neque anguſtia, neque perſecu„tio, neque fames, neque nuditas, neque gladius „poſſet nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in „Chriſto Jeſu Domino noſtro.„

Huc uſque cum affectum produxiſſet, altius multo aſſurgit contemplando, quem tanto amori amorem reapſe reddamus. Verum quoniam in dolorem, & pudorem hac ratione degenerat, cetera, quæ ſequuntur, non adſcribemus.

Sed nemo pulcrius ad amorem Dei movet, ac divus Thomas Villanovanus *Conc. III. Dominic.* 17. *poſt Pentec.* Sic enim commemorata redemptione, & morte Domini pro nobis rem ille aggreditur.

„Quod ſi neque adhuc tanta te utilitas excitat „ad amorem, excitet te ſaltem amor illius, quo „te diligit; nihil enim ad amorem magis provo„cat, quam amari: diligimus diligentes nos, etiam „indignos amore, ſolum quia diligunt nos, ne„que alio, quam amore compenſatur amor. Nam „ſi omnia amanti dederis, amorem autem non „dederis, non a debito ſolutus es. Auro, & ar„gento, & lapidibus pretioſis non recompenſatur „amor; tanti pretii eſt; ab inimico enim aurum „proveniens in lutum computatur. Quod ſi de „hoc amore dubites, & qua te Deus tuus dilectio„ne proſequatur, ignoras: *Teſtimonia ejus credibi„lia facta ſunt nimis.* Teſtis crux, teſtes clavis, „teſtes dolores, teſtes ſanguinis inundantes fluvii, „teſtis amara mors, & acerbiſſima, quam pro te „ſuſtinuit: & cum hæc omnia patiatur, videntur „ei omnia pauca præ amoris magnitudine. Adhuc „enim majores, & abundantiores ſi poſſibile eſſet, „expetit pro te dolores, graviores, longioresque „pro te ſitit anguſtias. Hoc eſt enim, quod in „cruce pendens clamat ad patrem: *ſitio* & in

„pſalmo:

„pſalmo: *cucurri in ſiti*, paratus videlicet ad lon„giores, & acerbiores pœnas pro homine, ſi pa„ter adhuc injungeret. Et quamvis de illo ſcri„ptum ſit: *ſaturabitur opprobriis*: & iterum: *quia „repleta eſt malis anima mea*: ſitit tamen adhuc, „ſatur quoad effectum, ſitiens quoad affectum; „ſatur quia a planta pedis uſque ad verticem non „eſt in eo ſanitas: ſitiens, quia amor adhuc dolo„ribus plenus non eſt, quamvis corpus vulneribus „plenum ſit. Jam hic o homo, etſi adhuc in „amando frigidus inveniris, duriorem te lapidibus „eſſe oſtendis: ſiquidem ad tantæ dignationis con„ſpectum duriſſimi lapides confracti ſunt, & qui „ſenſum non habent, ſenſum oſtenderunt, ut at„tendas, quid facere teneantur hominum corda, ſi „tantum pondus amoris neque rupes ipſæ ſuſtinere „valuerunt. Ad jumenta te paulo ante remiſi„mus, ut amorem addiſceres, nunc ad rupes & „duriſſimos lapides te remittimus. Emollire, emol„lire o pectus humanum! videns, quia & lapides „ipſi ad tantum beneficium comminuti ſunt, & „quod cordium officium pro ipſis hominibus rupes „faciunt.„

Nec minorem oſtendunt dexteritatem in amore ſopiendo, cujus rei præclara ſane ſpecimina, ubi de *Forma, & puchritudine* ſermo erit, ex Chryſoſtomo maxime, atque Ephræmo adducemus. Hic vero ſatis ſit Bernardum audire, qui *Epiſtola* 193. *Gualtero de Calvo monte* amorem matris, quo a Chriſti complexu diſtinebatur, ita exemit:

„Sed novi ego, quam liquido, & copioſe hæc „me quoque tacente cogitare ſufficias: materno „vero devinctus amore, necdum poſſis abjicere, „quod jam contemnere noris. Et quid ego ad „hæc reſpondebo tibi? Ut matrem deſeras? ſed „inhumanum videtur. Ut cum ipſa maneas? ſed „nec ipſi expedit, ut ſit filio cauſa perditionis: „Forte

„Forte ut & mundo ſimul milites, & Chriſto? „ſed nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Ma- „ter tua vult contraria tuæ, ac per hoc & ſuæ „ipſius ſaluti. Elige ergo tu e duobus, quod vis, „aut unius videlicet ſatisfacere voluntati, aut utri- „usque ſaluti. Verum ſi multum eam diligis, de- „ſere potius ipſam propter ipſam, ne ſi Chriſtum „deſeras, ut maneas cum ipſa, propter te pereat „& ipſa. Alioquin male meruit de te, quæ te pe- „perit, ſi propter te perit. Quomodo enim non „perit, quæ ipſum, quem peperit, perimit? Et „hæc dixerim, ut tuo aliquo modo carnali con- „deſcendam, conſulamque affectui. Ceterum fi- „delis ſermo, & omni acceptione dignus, ut etſi „impium eſt contemnere matrem, contemnere ta- „men propter Chriſtum piiſſimum eſt. Nam qui „dicit: honora patrem, & matrem, ipſe etiam di- „xit: Qui amat Patrem, aut matrem plus quam „me, non eſt me dignus.„ Quibus verbis claudit „totam Epiſtolam.

CAPUT III.

Specimina Audaciæ.

Non differt hæc multum a ſpe, & fiducia. Certe diverſitas, vel ſacris in argumentis fere in eo eſt, quod audacia magis hæret in meditatione, & præparatione animi ad pericula, quando ſpes, & fiducia datam fidem, pignora, auxilium, ſecuritatem ſibi proponit. Excitant Audaciam Patres, & ſæpiſſime quidem *æquitate cauſæ*, *elevatione periculi*, *gloria* apud Deum, & homines paranda, *ſignis* item divinæ voluntatis, *vocatione*, *gratia*, & *auxilio ſingulari*, *levitate periculi*, *imaginatione*, & *experientia* majorum periculorum, alias ſuperatorum, *æmulatione*, & *exemplis* cum ipſius Domini, tum ſequacium ejus, Martyruum videlicet, Virginum, Eremicola-

rum.

rum &c. *præmiis* denique ſummis, & ipſa pugnandi, ac vincendi extrema *neceſſitate*: his autem audaciam acuunt ad *abnegationem ſui*, ad *propoſitum virginitatis*, ad *calcandum, vel relinquendum mundum*, ad *machinas, minasque impiorum ſpemendas*, ad *perſecutiones*, ſuppliciaque toleranda. Qua in re admirabilis eorum efficacia eſt multosque videmus in hunc diem, qui cohortationibus illis animati, aſpera omnia non confidenter tantum exciperent, verum ultro etiam provocarent. Contra reprimunt Patres audaciam, quoties de *occaſionibus peccandi ultro aditis*, de *præſumptione* in divina gratia, de *procraſtinatione* pœnitentiæ, & baptiſmi, de *fragilitate* carnis, de *mutabilitate* animi, de *potentia illecebrarum*, de *lapſibus magnorum hominum*, de *abuſu auxiliorum cæleſtium*, de *Judiciis Dei* ſive ocultis, ſive manifeſtis, de *menſura peccatis ſtatuta*, de *monitis, minisque interioribus*, de *exemplo*, ac pœna ceterorum, de *caducitate hujus vitæ*, & certitudine mortis, demum de *æterni interitus præſentiſſimo periculo* ſermonem habent. Vide quæ infra Titulis *Occaſio, Præſumptio, Timor, Pœnitentia procraſtinata* adſcribemus: ſufficit hoc loco Specimina ex primo genere allegaſſe. Tale eſt illud Chryſoſtomi *ſermone, antequam iret in Exilium*, qui cum extemporali & tumultuario opere ſit habitus * erit tamen excelſi ejus, infractique animi perenne monumentum.

„Multi quidem fluctus, inquit, & procellæ immanes: at ſubmergi non timemus; quia ſupra petram „ſtamus; ſæviat licet mare, petram non poteſt diſſolvere. Inſurgat tempeſtas, navis Jeſu obrui non poteſt. „Et quid quæſo timeamus? Mortem? *mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*. Sed exilium metuam, dic mihi? *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*. Sed bonorum „pro-

* **Ea de cauſa conciſior paulo, atque impeditior ſtylus evaſit. Qui ne immigraret in verſionem a Montfaucono, ſyntaxi nimium inhærente, diſcedendum hic mihi exiſtimavi.**

„proſcriptionem verear? *Nihil intulimus in hunc mun-„dum; manifeſtum, quod nec efferre quid poſſumus.* „Quidquid terrificum mundus habet, contemno, „quidquid delectabile habet, rideo. Paupertatem „non horreo, divitias non concupiſco, mortem nihil „reformido, ſed nec vivere opto, niſi ad profectum „veſtrum, atque ideo & his, quæ nunc commemoro, „hortor charitatem veſtram, ut firmo, ac fidente ani-„mo ſitis. Nemo enim a mutua charitate divellere „nos poterit. Quos Deus conjunxit, homo non ſe-„parabit. Quod ſi de muliere, & viro dicitur: *Pro-„pter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, „& adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carnem unam: „quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Si „inquam ejusmodi nuptiarum conjunctionem non „potes dirimere: quanto minus eccleſiam a ſponſo „ſuo divellere? ſed oppugnas eam! quid efficiet „oppugnatio tua, niſi,ut ego quidem inde clarior red-„dar, tu vero eliſis viribus præceps deris? Durum „nempe eſt tibi adverſus ſtimulum calcitrare; quod „ſic non ſtimulum retundes, ſed pedes vulnerabis. „Verum nec fluctus, qui ſaxo illiduntur, amplius „aliquid proficient, quam ut ſemetipſos diſſolvant, „& in ſpumas abeant? Eccleſia nihil uſpiam fortius. „O homo pone arma, ne tuum ipſius robur diſſolvas. „Tale eſt enim, velut ſi cœlo bellum moveris infer-„re. Homini ſi bellum inferas, anceps victoria eſt: „verum eccleſiam ſi oppugnes, nulla ratione ſupera-„bis. Omnibus ſine comparatione fortior eſt Deus. „Aut æmulabimur Dominum? an fortiores illo eri-„mus? Deus fundavit: quis labefactare audebit? „Non noſti virtutem ejus? ipſe eſt, qui reſpicit ter-„ram, & facit eam tremere: qui jubet, & quæ tre-„mebant, firma conſiſtunt. Tremebat civitas *: qui „conſiſtere eam fecit, quanto magis eccleſiam poterit „con-

* Terræ motus Conſtantinopoli ortos ſignificat.

„confirmare. Fortior enim eccleſia, non dico terra, „ſed cœlo quoque; *cœlum, & terra tranſibunt*: *verba* „*autem mea non tranſibunt.* quæ verba? *tu es Petrus*, „*& ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, &* „*portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Quod ſi „non credis verbo Dei, at rebus ipſis, atque operibus „crede. Quot Tyranni Eccleſiam oppreſſum ibant? „quot ſartagines? quot fornaces adhibuerunt? quot „concitarunt belluas? quot gladios exacuerunt? ubi „nunc ſunt hoſtes illi? oblivioni, æternisque tenebris „ſunt traditi: Eccleſia vero præ ſole reſplendet? quæ „illorum extincta, quæ hujus immortalia. Si, cum „pauci eſſent Chriſtiani, invicti fuerunt; nunc quando orbis terrarum repletus eſt piorum multitudine, „quomodo poterunt expugnari? cœlum, & terra „tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt. Et „merito Nam charior Eccleſia Deo, quam ipſum „cœlum. Ab illa carnem accepit, non ab hoc: & „cœlum propter Eccleſiam, non Eccleſia propter „cœlum. Nihil vos perturbet eorum, quæ nunc „geri videtis, noſtis Petrum ſuper aquas incedentem, „& tantiſper hæſitantem. Ob hanc fidei infirmitatem, non ob fluctuum magnitudinem periclitatus „eſt. Numquid humana voluntate huc venimus: „aut propter hominem eo ſumus provecti, ut ab homine dejiciamur? Non arroganter hæc loquor, neque jactantiæ cauſa. Abſit: ſed ut animos, qui „forte turbati ſunt, confirmem. Quia non corruit „civitas, Eccleſiam nunc diabolus quatit. Vach ſceleſtum, & flagitiis omnibus coopertum! eccleſiam „te poſſe dejicere, qui trementes parietes dejicere „non valuiſti? an in muris Eccleſia eſt? imo in multitudine piorum conſiſtit. En quam firmas, quam „immobiles columnas, non ferro ligatas, verum fide „conſtrictas? Et quid tantam multitudinem dico „tormentis ſuperiorem eſſe? neque ſi unus eſſet fidelis, victor evaderes. Neſcis, quas tibi plagas in-

„flixe-

„flixerunt martyres? ut ingreſſa eſt puella tenera, „neque nuptiis matura? cera mollior erat, & ſaxo „firmior inventa eſt. Latera ejus laniabas, fidem „tamen non movebas. Ceſſit quidem caro: ſed „robur fidei non defecit. Conſumptum eſt corpus, „& perſtitit animus: exhauſta ſubſtantia, verum „patientia ſalva manſit. Qui ergo ne unam quidem „mulierculam deviciſti, qui tanto, & tam fideli „populo te ſperas fore ſuperiorem? Non audis „Dominum dicentem: *ubi duo vel tres ſunt congre„gati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum:* Et „ubi iſta multitudo eſt, charitatis nexu adſtricta, „non aderit? Num forte propria virtute confido? „habeo cautionem Domini mei, manum ipſius „teneo. Illi velut baculo innitor, illa ſecurum „præſtat, atque in portu me conſtituit. Orbis li„cet univerſus commoveatur: ego cautionem Do„mini mei in manibus geſto, literas ejus lego, quæ „mihi murus ſunt, & præſidium inexpugnabile. „Vultis vobis recitem Domini cautionem! *Ego*, „inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad con„ſummationem ſæculi.* Chriſtus mecum eſt, quem „timebo? etſi fluctus adverſum me ſuſcitentur: li„cet mare totum inſurgat, & principum furor ex„ardeſcat. Hæc omnia araneæ telis viliora duco, „& niſi me charitas veſtra detinuiſſet, ne hodie „quidem renuiſſem ſolum vertere. Semper enim „dico: Domine fiat voluntas tua, non quod hic, „vel ille, ſed quod tu vis. Hæc mihi turris, hæc „mihi petra immobilis, hic mihi baculus non va„cillans. Si Deus hoc velit, fiat ſane: ſi vero ve„lit hic manere me, etiam grates habeo. Si quo„cunque velit faceſſere, nihilo ſecius gratias dico. „Nemo igitur vos turbet, orate tantum; hæc enim „diabolus movit, ut veſtrum precandi ſtudium „interciperet. Verum nihil profecit, diligentio„res etiam, atque alacriores vos invenimus. Cras

„ad ſupplicationem vos comitabor; ubi ſum ego, „ibi & vos: ubi vos, ibi & ego. Unum corpus „ſumus, neque corpus a capite, neque caput a „corpore ſeparatur. Loco etiam diſſiti, charitate „conjungemur, neque mors ipſa divellere nos po- „terit. Etſi enim pereat corpus meum, vivet ta- „men anima, & veſtri memor erit. Vos mihi „loco patris, vos vita, vos gloria mea eſtis. Hoc „præ omnibus delectat, ſi proficere vos videam, „ipſamque adeo vitam meam haud ſecus atque opes „quasdam mihi propono in theſauro veſtro depo- „ſitas. Millies pro vobis immolari paratus ſum; „nec gratiam ex re exhibere me credo, ſed debi- „tum reddere. Bonus enim Paſtor ſuam animam „pro ovibus dat. Millies jugulent, toties caput „abſcindant, hujusmodi mors immortalitatem, hæ „vero inſidiæ ſecuritatem mihi pariunt. An enim „propter facultates meas inſidiantur, ut doleam? „an ob malefacta quædam ut lugeam? Patior pro- „pter charitatem veſtram, quia nihil non ago, ut „ſecuros vos præſtem, ut ne alienus in ovile ſe „inſinuet, ut grex illæſus maneat. Hæc cauſa cer- „taminis, quæ ſola ſufficit ad coronam. Quid „enim non patiar pro vobis? vos mihi cives, vos „mihi fratres, vos filii, vos membra, vos corpus, „vos mihi lux, imo ipſa hac luce ſuaviores. Aut „quid mihi tantum ſolis radii præſtent, quantum „charitatis veſtræ ſplendor aquirit? ecce pro cha- „ritate veſtra corona mihi paratur in futuro ſæculo: „cum mihi lux iſta ſolum in hac vita afferat utili- „tatem. Hæc porro loquor in aures veſtras. Et „quid illis promptius ad audiendum? Tot dies „ſunt, quod vigilatis, nihilque inflectere vos po- „tuit, non diuturnitas temporis, non incuſſi ti- „mores, non intentatæ minæ molliores reddiderunt. „Ad omnia ſtrenuos vos exhibuiſtis. Et quid hoc „dico? video in vobis, quod ſemper optavi; con-

„tempſi-

„tempſiſtis ſæcularia, renuntiaſtis mundo, a vin-
„culis corporis vos expediviſtis, atque ita ad be-
„atam illam philoſophiam certatim contenditis.
„Hæc mihi corona, hæc conſolatio ſunt, hæc in
„agonibus velut unguenta corroborant, hæc dant
„vitam, & ad gloriam transmittunt immortalem.„

Quam ingens animus, quam ſancta audacia præſertim in homine imparato, atque ex tempore dicente, uti lingua cor ſæpe prævertere ſolet, maxime autem, ubi calamitas præſens omnem alium ſenſum, cogitationem aliam omnem excludere debere videbatur?

Quem vero animum, quam fortitudinem illa ſpirant, quæ *homilia* 83. *nunc* 82. *in Matthæum* contra eos expromit, qui cum publice peccarent, nihilo minus ſacram menſam accedere cum ceteris attentabant?

„Hæc vobis, inquit, qui communicatis, dico,
„nec non vobis, qui miniſtratis. Nam neceſſe eſt
„vos alloqui, ut eum multa diligentia hæc dona
„diſtribuatis Non parvum vobis ſupplicium de-
„putatum eſt, ſi quem improbum vobis notum ad
„hujus menſæ participationem admittatis. Sanguis
„ejus exquiretur de manibus veſtris. Quamvis
„dux quiſpiam ſit, quamvis præfectus, ſive is ipſe,
„qui diademate redimitur, ſi indigne accedat, co-
„hibe; majorem tu, quam ille poteſtatem habes.
„Si tibi fons purus gregi cuſtodiendus comiſſus eſ-
„ſet, ac videres os ovis cujuspiam luto fædatum,
„non ſineres demiſſo capite fluentum turbare. Nunc
„non aquæ, ſed ſanguinis, & ſpiritus fonti cuſto-
„diendo deputatus, ſi peccatis luto tædioribus in-
„quinatos accedere videas, nec indigneris, nec co-
„hibeas, quam veniam merearis? Idcirco vos Deus
„hoc honore decoravit, ut hæc diſcernatis. Hæc
„veſtra dignitas eſt, hæc ſecuritas, hæc corona,
„non ut alba, ſplendenteque tunica induti circu-

„meatis. Et undenam, inquies, hunc & illum noſſe „poſſim? Non de ignotis, ſed de notis loquor. Aliquid horribilius dicam: non tam grave eſt energumenos intus eſſe, ut hos, quos dicit Paulus „Chriſtum conculcare, & ſanguinem teſtamenti „commune ducere, atque ſpiritus gratiam contumelia afficere. Dæmoniaco enim pejor eſt, qui „peccavit, & acceſſit. Illi enim cum a dæmone „vexantur, non ideo puniuntur: hi vero ſi indigne accedunt, æterno ſupplicio traduntur. Ne „itaque hos tantum pellamus (energumenos) ſed „etiam omnes, quos viderimus indigne accedere. „Nemo eorum, qui diſcipuli non ſunt, communicet. Nullus Judas ſumat, ne Judæ mala patiatur. „Corpus Chriſti eſt hæc etiam multitudo. Vide „ergo tu, qui myſteriorum miniſter es, ne Dominum ad iram concites, ſi hoc corpus non purges, „ne gladium des pro cibo. Sed etiamſi præ ſtultitia ille ad communionem accedat, cohibe illum, „ne timeas. Time Deum, non hominem. Si „timeas hominem, ab illo irrideberis, ſi Deum, „etiam hominibus venerabilis eris. Si ipſe non „audes, ad me adducito; neque enim permittam „hujusmodi auſus. Animam potius amittam, quam „indigno ſanguinem dominicum præbeam: & ſanguinem (meum) potius profundam, quam tremendum ſanguinem dem, cui par non eſt. „

Addi hoc loco quam plurima alia poterant, maxime de mirabili fortitudine, ac magnanimitate Martyrum, & quæ ſunt his ſimilia, infra paſſim in locis communibus adducenda. Sed nihil ſimile epiſtola 55. S. Cypriani, quæ niſi longiſſima eſſet, præ ceteris omnibus huc erat tranſcribenda.

CAPUT

CAPUT IV.

Specimina Commiſerationis.

In hoc affectu non ſolum freqentiſſimi Patres ſunt, ſed profanos adeo longiſſimo poſt ſe intervallo relinquunt. Equidem Cicero maxime valuit in flebilibus, ut ſcribere auſus ſit, ſe plangore, & lamentatione compleviſſe forum, atque, ubi miſeratio erat cienda, cum aliæ partes orationis aliis darentur oratoribus, ſibi epilogum tributum: Inter Patres vero non unus, non duo tantum, ſed plures reperias, quibus tenerior hæc ratio commovendi non ſtudio parta, non artificio exculta, ſed veluti indita, ac naturalis fuit.

Præcipue vero erga *pauperes*, & miſeros, erga *Chriſtum patientem*, ſanctos *Martyres*, *oppreſſam juſtitiam*, atque innocentiam, vulnera item, & *perſecutiones Eccleſiæ* affectum hunc expromunt: oſtendendo *magnitudinem mali*, *ætatem gravem*, vel *teneram*, *egregias dotes*, *ſexum*, *affinitatem*, *derelictionem eorum*, quorum miſerabantur: expendendo etiam *adjuncta loci*, ac *temporis*, ut ſi inopinatum, ſi diuturnum erat malum, ſi minime aſſuetum, ſi ſtatum, atque conditionem priſtinam valde dedecens &c. Quod dum faciunt jam obſecratione, & precibus, jam ethopœja, jam ſermocinationibus, jam lamentis, jam adjurationibus, jam aliis formis utuntur.

Contra eundem affectum minuunt, vel tollunt penitus, ubi agitur de *corpore*: & cupiditatibus ejus, de hominibus *impiis*, *ingratis*, *miſeratione abutentibus*; item ubi *proprium* intervenit *periculum*, ubi impunitas *pravum exemplum* habet, & cum *damno aliorum* conjuncta eſt, &c.

Recenſebo aliquod de primo genere ex Chryſoſtomi *Libro I. de ſacerdotio*, quod ſit maxime ad

 motum.

motum. Habebat juvenis Chryſoſtomus amicum, & æqualem Baſilium, neſcio quem, qui ipſi jam jam perſuaſerat, uti domum maternam, mundumque omnem relinqueret, ac ſecum ad vitam ſolitariam in eremum pergeret. Quod ubi amantiſſimæ parenti vix innotuit, maternas blanditias, & lamenta omnia exprompſit, neque deſtitit, donec filium ad miſerationem permotum a propoſito illo abduxiſſet. Rem ita narrat os aureum:

„Etenim ubi illa obodorata eſt, id me conſilii inire, dextra apprehenſum introduxit in peculiare ſibi cubiculum. Hic illa cum me ſibi aſſidere voluiſſet, ſuper eum lectum, in quo me enixa fuerat, in lacrimarum fontes prorupit, verba etiam adjiciens, quæ me plus lacrimis illis omnibus ad miſericordiam pertraherent. Porro ejus quidem lamenta ejusmodi fuere: Patris tui virtute, ac præſtantia fili! me haud ita multum temporis utifrui numen permiſit; utpote cujus mors dolores eos, quos in te pariendo paſſa ſum, continuo exceperit, ac tibi orbitatem, mihi viduitatem attulerit intempeſtivam. Ut ſileam viduitatis ipſius mala, ærumnas, atque incommoda, quæ quidem ſolæ animo illæ complecti recte queant, quas contigerit ea ipſa perpeti. Nullius enim ſermo, nullius oratio par eſſe poſſit enarrandæ tempeſtati, ac turbulentiæ illi, quam ſubire oportet puellam, quæ ipſa etiamnum rudis, rerumque humanarum expers, ſimul atque paternam domum reliquerit, derepente immenſorum dolorum facibus æſtuans, curam ſolicitudinemque ætate, ac ſexu ſuperiorem ſuſtinere cogatur. Quam videlicet neceſſe eſt ſervorum ignaviam emendantem, eorumdem maleficia obſervare, cognatorum propulſare inſidias, publicanorum moleſtias, & quam illi, dum eis tributa numerantur, immanitatem exercere ſolent, forti, generoſoque animo ferre.

„Pro-

„Proinde cum decedit pater, relicta a ſe prole, ſi „forte fœmina ea eſt, magnam vel ſic matri curam „exhibet: ſed tamen hoc ipſo tolerabilem, quod „illius educatio tum impenſa, tum etiam formi-„dine vacat. At maſculus a patre relictus, matris „animum in dies ſingulos immenſa formidine, tum „permultis complet ſolicitudinibus, ut nihil hic „agam de ſumptu, deque impenſa, quam multam „tolerare cogitur mater, quæ allaborat, ut maſcu-„lus ille liberalitur educetur. Quarum rerum „omnium nulla me tamen permovit, ut nuptiis „iteratis ſponſum alterum in patris tui ædes indu-„cerem: quin potius in æſtu illo, in fluctuatione, „ac turbine perſeverans cœleſtis gratiæ ſuppetiis „imprimis adjuta, ferream illam viduitatis fornacem „nulla ex parte refugi, cum mihi inter eas ipſas „ærumnas, atque incommoda ſolatio eſſet non „modica, quod vultum iſtum aſſidue ſpectare, in-„que eo tanquam vitalem defuncti mariti imaginem, „veriſque, ac certiſſimis characteribus expreſſam „mihi aſſervare daretur. Quo nomine puerulus „cum adhuc eſſes, necdum fandi gnarus, qua po-„tiſſimum ætate maximam liberorum ſuorum vo-„luptatem parentes ſentiunt, magno certe mihi „ſolatio, magnæ jucunditati fuiſti. Atqui ne id „quidem mecum expoſtulare poſſis, quam nos vi-„duitatis quidem conditionem perpeſſæ fortiter ſu-„mus, ſed viduitatis ejusdem anguſtiis coarctatæ, „paternas tibi imminuerimus facultates: id quod „infelicibus orphanis permultis uſuveniſſe ſcio. Si-„quidem patrimonium tibi nulla non parte ſalvum, „integrumque ſervavi: cum tamen nihil etiam præ-„termiſerim ſumptuum eorum, qui tibi nominis „iſtius exiſtimationem aliquam parare poſſent; quos „ſumptus ſuffeci ex meo peculio, hoc eſt ex iis „pecuniis, quas mecum domo paterna attuleram. „Neque vero exiſtimare te velim, exprobrandi

„gratia hæc nunc a me dici. Pro rebus porro „his omnibus unam abs te gratiam peto, ne me „viduitate altera involvas, neu luctum jam ſopitum „rurſus exſuſcites. Obitus hujus diem potius ex„ſpectato. Hinc paulo poſt nobis fortaſſe emigrandum. Nam ut, qui juvenes ſunt, ad longæ ſe„nectutis annos accedant, ſperare quidem liceat: „qui autem jam conſenuimus, quid tandem aliud, „quam mortem jamjam adventantem præſtolamur? „itaque ubi corpus hoc a te ſepultum cum patris „tui oſſibus conjunxeris, tum demum fili longas „profectiones ſuſcipito & quodcunque æquor col„libitum fuerit, emetitor per me, nemo tunc pro„hibiturus eſt. Ceterum tantiſper dum ſpiramus, „contubernium, convictumque hunc noſtrum tole„rato: Dei offenſionem fruſtra, ac temere ne in„currito, neve committito, ut matrem nihil com„meritam tam multis involvas incommodis. Qui „ſi forte criminari potes, quod in mundanas mole„ſtias pertractum, rerum tuarum curam temet ge„rere cogam: te non jam naturæ leges moveant, „non educationis, conſuetudinisque jura tangant, „denique nulla te res alia impediat, quo minus „nos ſtatim inſidiatorum, atque hoſtium loco ha„beas, vitato etiam contubernio noſtro. Sin ve„ro nihil non agimus, ut te facile, altoque in „otio poſſis vitæ hujus uſura frui: ſi minus aliud „vinculum, certe hoc unum te apud nos detineat. „Nam ut te a ſexcentis amari dicas, nemo certe „fuerit, qui tibi tanta in libertate vivere concedat; „cum & neminem eſſe putem, cui nominis tui „exiſtimatio æque ac mihi uni chara eſſe poſſit. „

Mirum non eſt, Chryſoſtomi animum ad orationem tam teneram minime ſibi conſtitiſſe. Etſi enim Baſilius inſtaret quotidie, nunquam tamen impetrare potuit, ut matrem ille deſereret, tam amantem ſui, tamque dignam, quæ & ipſa amaretur.

retur. Et certe vides hic matris ingenium, plane ad vivum exprimi, vides quam dextre, quam facunde ea omnia congerat, quæ valere ad movendum filium poſſent. Carolus Rollinus, qui hoc eloquentiæ ſpecimen Methodo ſuæ inſeruit, hanc illi laudem prorſus ſingularem defert: „Habetne „gentilis antiquitas orationem, quam ſuppeditet „pulchriorem, vivaciorem, teneriorem, eloquen„tiorem, atque iſta eſt, ex eo genere ſimplicis, „& naturalis facundiæ petitam, quæ omnem vel „ſummæ artis ſplendorem longe exſuperat? eſtne „in tota hac oratione ſententia procul accerſita, „phraſis una exotica, & quæ artem prodat? num„quid clarum eſt omnia hic velut ex animo pro„fluere, atque a natura ipſa dictata eſſe? maxime „autem admiror moderationem, quæ in matre mœ„ſtiſſima, doloreque intimo ſauciata captum ſupe„rat. Nam ne unicum quidem verbulum, quod „indignationem præferret, nec ulla prorſus querela „illi excidit; ſive id exiſtimationi virtutum Baſilii „daret, ſeu vereretur filium hac ratione irritare „quem conciliare tantum ſibi, & emollire propo„ſuerat.„

Eundem affectum alibi quoque verſat Chryſoſtomus, eadem ſemper, aut etiam majori felicitate uſus. *Homilia* 2. *ad populum* de afflictiſſimo Antiochiæ ſtatu ſine lacrimis legi vix poteſt. *Oratio in Eutropium* excellens eſt in hoc genere, quæ & populum omnem, tantopere licet exacerbatum ad miſerationem inflectere potuit. Idem *homil.* 4. *in* 1. *ad Theſſal.* cum Paulum Neophytis, & Joſephum fratribus compatientem deſcriberet, flere præſentes ubertim coëgit. Senſim etiam emollit *homilia* 47. *in Geneſin* de ſacrificio Abrahæ agens, recteque Laurentius a Villavincentio *Libro I. de ſacr. orator. formand. cap.* 23. de ea admonuit: *Quiſquis attente leget, ægre ſibi, certo ſcio, a lacri-*

mis temperabit. Denique quam ardenter, quam ſæpe miſericordiam erga pauperes excitat? præſtans exemplum ſupra *Libro quarto* dedimus, ſed etiam per decurſum alia ſuis locis eaque luculenta dabuntur. Quis (exclamat Damaſcenus *orat. de eo*) *charitate illa, ex qua miſericordia naſcitur, eximius adeo fuit, cujus virtutis monumenta animati cippi hodieque geſtant? omnis ſermo illius de miſericordia erat, quique eum verba facientem audiſſet, ad habitum continuo commiſerationis, liberalitatisque provehebatur* &c. Taceo Baſilium *homil.* in *deſtruam horrea;* Nazianzenum *orat. 16. de pauperum amore;* Nyſſenum *de eod. argumento;* Hieronymum *in Epitaphio Nepotiani*, & de *muliere ſepties icta;* Bernardum *ſerm. 26. in Cantica* &c.

S. Gregorius Naz. *orat. 16. de pauperum amore* inter alia eorum, qui inopia ſimul, fædoque morbo laborant, ita miſeratur.

„Noctu, & diu vagantur inopes & nudi ac „tecto carentes, morbum oſtentantes, vetera * com„memorantes creatoris opem implorantes, alii alio„rum membris pro iis quibus carent, mutuo uten„tes, cantuum ad miſericordiam pertrahentium ar„tifices, paulum quiddam panis poſtulantes, aut „parumper obſonii, aut lacerum aliquem & detri„tum pannum, quo pudendis corporis partibus „auxilium, aut ulceribus ſolatium ferant. Beni„gnus ipſis ille eſt, non, qui quod eis opus erat, „ſuppeditavit, ſed qui non acerbe eos able„gavit. Multi autem eorum ne pudore quidem „a publicis conventibus deterrentur, quin potius „in eos ſeſe ob neceſſitatem intrudunt, hos in„quam publicos & ſacros conventus, quos ob ani„marum curationem excogitavimus, aut myſterii

„cujus-

* i. e. priorem fortunam.

„cujuspiam celebrandi cauſa coëuntes, aut ob ve-„ritatis Martyres diem feſtum agitantes, ut quo-„rum certamina honore proſequimur, eorumdem „quoque pietatem imitemur. Et quamvis homi-„num ora, cum homines ipſi ſint, propter calami-„tatem erubeſcant, ac montibus, aut præruptis „locis aut ſylvis, aut denique nocte ac tenebris „obtegi cupiant: in medium tamen irrumpunt, „ſarcina miſerabilis, & lacrimis digna. Id quo-„que fortaſſe non temere, ac ſine ratione; nimi-„rum ut nos infirmitatis noſtræ ſubmoneant, illud-„que nobis perſuadeant, ut nulli rerum præſentium, „atque in oculorum ſenſum cadentium velut firmæ, „& ſtabili animum adjiciamus. Irrumpunt autem „partim hominum vocem audire, partim eos aſpi-„cere cupientes, partim ut exigua vitæ ſubſidia ab „iis, qui luxu, deliciisque diffluunt, colligant: „omnes autem ut exponendis luctibus ſuis nonnul-„lam hinc levationem ſentiant. Quis non eorum „miſeram cantionem concinantium gemitibus fran-„gitur? quæ auris hujusmodi auditionem ferre, „quis oculus ſpectaculum hoc cupere poteſt? Ja-„cent ſimul illi male a morbo conſociati, atque „alii aliud quoddam calamitatis genus ad miſeri-„cordiam ciendam conferentes. Suntque ſibi in-„vicem doloris additamentum miſerabiles quidem „illi morbi nomine; ob mutuam autem commiſe-„rationem miſerabiliores. Circumſtat autem eos „promiſcuum theatrum, condolentium quidem, „ſed ad breve tempus. Hi porro ad hominum „pedes volutantur, cum ſolis æſtu, & pulvere, „nonnunquam etiam cum aſperrimis frigoribus, ac „pluviis, ventorumque tumultibus conflictantes, „pedibusque etiam jam jamque percalcandi, niſi „vel tantillum eos tangere exhorreſceremus. Porro „petitionum gemitus internis Templi cantibus ex „adverſo reſpondet, atque adverſus myſticas voces

„miſerabilis luctus excitatur. Quid vero univer-„ſam horum calamitatem hominibus feſtum diem „celebrantibus proponere attinet? vobis quoque „fortaſſe, ſi non omnia, ſedulo, & tragice ampli-„ficem lacrimas movere, ac dolor feſtum * ſupe-„rabit.„

Paradigmata commiſerationis minuendæ aut tollendæ magno numero Patres ſuppeditant. Sic Cyprianus, & Pacianus nihil moventur erga lapſos, Baſilius erga fame & ſiccitate laborantes, Chryſoſtomus ** erga puellas pauperes Clericis cohabitantes, Salvianus erga Gallos & Afros cum extrema calamitate luctantes propinquos hæreditati iminentes &c.

CAPUT V.

Specimina Deſiderii.

Patres movere ſolent erga *veritatem*, erga *veram amicitiam*, *vitam quietam*, & *ſolitariam*, *convictum proborum*, *virtutes*, *curam*, & *profectum proximi*, *honorem Dei*, noſtram, noſtrorumque *ſalutem* ſempiternam, denique, quod eſt omnium ſubli-miſſimum, *ad multa*, *magnaque pro amore Dei & facienda*, *& toleranda*. Huc item pertinent artes illæ omnes, quibus veternum, atque ignaviam excutimus, proponendo eorum dedecus, & damna: contra ſecuritatem, voluptatem, gloriam, utilitatem, neceſſitatem, & quæ ſunt alia in bono quodam genuino proſequendo. Eundem affectum temperant paſſim ubi in bona ſæculi fertur, quorum proin incertitudinem, probra, atque infauſtos exitus

* Quod ea die agebant.

** Locus quam fuſus tam illuſtris *opuſculo adverſus eos, qui apud ſe habent Virgines ſubintroductas.*

ctus verbis graviſſimis ſolent inculcare. Vide quæ infra de gaudio, & delectatione dicemus.

Sic S. Ignatius Martyr *Epiſt. ad Romanos* tam ardens patiendi deſiderium præfert, quod legentes nos, quicunque ſimus, in ruborem maximum dare debet. Sic autem loquitur:

„Utinam fruar beſtiis mihi paratis: quas & opto „veloces mihi inveniri, quas & blanditiis demul„cebo, ut citius me devorent; non ut quosdam „veritæ non attigerunt. Sed & ſi ipſæ volentem „nolint, ego vi adigam. Ignoſcite mihi; quid mi„hi utile ſit, ego novi. Nunc incipio diſcipulus „(Chriſti) eſſe. Nihil expetam viſibilium, & in„viſibilium, ut Jeſum Chriſtum aſſequar. Ignis, „crux, ferarum concurſus, ſectiones, lanienæ, oſ„ſium diſcerptiones, membrorum conciſiones, to„tius corporis contritiones, & (omnia) diaboli „tormenta in me veniant, tantummodo, ut Je„ſum nanciſcar. Nil me juvabunt fines mundi, „nec regna hujus ſæculi. Melius eſt mihi emori „propter Jeſum Chriſtum, quam imperare fini„bus terræ. *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum „univerſum lucretur, animam vero ſuam perdat?* Do„minum deſidero, filium veri Dei, & Patris, Je„ſum Chriſtum. Illum quæro, qui pro nobis „mortuus eſt, & reſurrexit. Ignoſcite mihi fra„tres! ne mihi impedimento ſitis, quo minus ad „vitam perveniam; Jeſus enim eſt vita fidelium. „Ne me velitis mori, mors namque eſt vita ſine „Chriſto. Cumque cupiam Dei eſſe, ne me mun„do condonetis. Sinite me purum lumen haurire. „Cum illic fuero, homo Dei ero. Permittite mi„hi, ut æmulator ſim paſſionis Chriſti, Dei mei. „Si quis ipſum in ſeipſo poſſidet, intelligat quid „volo, & compatiatur mihi, ut qui ſciat, quæ „me conſtringunt. Princeps hujus ſæculi rapere „me vult, & voluntatem, quam erga Deum habeo, „corrum-

„corrumpere. Nullus, itaque veſtrum, qui præ„ſentes eſtis, opituletur illi: potius mei ſitis, id „eſt Dei. Ne loquamini Jeſum Chriſtum, & mun„dum præferatis. Invidia in vobis non habitet. „Neque ſi ego præſens vos obſecrem, obtempere„tis; verum his potius credite, quæ vobis ſcribo. „Vivens enim ſcribo ad vos, amore captus mo„riendi propter Chriſtum. Meus amor crucifixus „eſt, & non eſt in me ignis quidpiam amans; ſed „aqua viva ſaliens in me, intus mihi dicit: Veni „ad Patrem! Non gaudeo corruptibili nutrimento, „nec voluptatibus hujus vitæ; panem Dei volo, „panem cœleſtem, panem vitæ, qui eſt caro Chri„ſti, Filii Dei, qui factus eſt poſterioribus tem„poribus ex ſemine Davidis, & Abrahæ: ac po„tum volo, ſanguinem illius, qui eſt charitas in„corruptibilis, & vita æterna. Nolo amplius ſe„cundum homines vivere. Id autem fiet, ſi vos „velitis. Chriſto confixus ſum cruci. Vivo au„tem jam non ego, quandoquidem vivit in me „Chriſtus.„

De hac Epiſtola, quam & Deſiderii ejus cauſa omnium nobiliſſimam putat, ita in *act. SS. ad* 1. *Febr. §. 6.* Henſchenius loquitur: *In qua ſuum Ignatius erga Chriſtum amorem, & ingens eo perfruendi deſiderium verbis, ac ſententiis, velut ex ipſa totius amoris fornace deductis aptiſſime, copioſiſſimeque effundit.* Et jam ante Gildas Sapiens in *Caſtigatione Cleri Britanniæ, poſt initium. Quis veſtrum, ut ſanctus Martyr Ignatius, Antiochiæ urbis Epiſcopus, qui poſt admirabiles in Chriſto actus. ob teſtimonium ejus, leonum molis Romæ confractus eſt? cujus verba, cum ad paſſionem duceretur, audientes, ſi aliquando vultus veſtri rubore ſuffuſi ſunt, non ſolum in comparatione ejus vos non putabitis Sacerdotes, ſed ne mediocres quidem Chriſtianos eſſe. Ait enim in Epiſtola, quam ad Romanam Eccleſiam miſit*

ſit &c. * Neque refrixit, ubi ad rem ventum eſt tam incenſum deſiderium. Ait enim Hieronymus in *Libro de viris illuſtribus cap.* 16. *Cumque jam damnatus eſſet ad beſtias, ardore patiendi, cum rugientes audiret leones, ait: Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar.*

Chryſoſtomus *Tomo II. Montfauc. pag.* 279. poſt morbum ad ſuos reverſus, admirabile oſtendit ſuorum deſiderium, hiſce verbis uſus:

„Num quæſo memores noſtri fuiſtis? quanto „tempore a vobis abfuimus? nam ipſe quidem ve„ſtri nunquam oblivifci potui, ſed urbem dimittens „memoriam veſtri non dimiſi. Quemadmodum „enim, qui corporum præſtanti forma capiuntur, „quocunque receſſerint, ſecum deſideratam faciem „circumferunt: haud ſecus ipſi venuſtate animarum „veſtrarum tacti, eam mentis veſtræ ſpeciem ſem„per nobiſcum circumferimus. Et quemadmodum „pictores coloribus variis mixtis corporis imagines „effingere conſueverunt, ita & ipſi ſtudium veſtrum „in collectis, in audiendo alacritatem, benevolen„tiam erga concionatorem, ceteraque omnia offi„cia veluti colores virtutis varios immiſcentes, at„que ipſum animarum veſtrarum characterem impri„mentes, mentiſque apponentes oculis, ex ſpecu„latione ſatis in noſtra peregriatione accepimus ſo„latii. Hæc & ſedentes, & ſurgentes, & ambu„lantes, & quieſcentes, & introeuntes, & exeun„tes continuo verſabamus, charitatem veſtram vel „in ſomnio intuentes, neque interdiu ſolum, ſed „etiam noctu iisdem cogitationibus quaſi deliciis „innutriebamur, illud cum Salomone ſcientes: „*Ego dormio & cor meum vigilat.* Idipſum & „nobis

* Hunc ipſum locum ſingulari prorſus encomio celebrant Tillemontius in *Monum. Eccl.* Marechal in *Concord. PP.* & omnes fere moderni, qui de PP. ſcripſere.

„nobis contingebat. Nam ſomni quidem neceſſi-„tas palpebras ipſas contrahebat; tyrannis vero amo-„ris veſtri oculos noſtræ mentis excitabat. Atque „ſæpenumero per ſomnum vobiſcum loqui mihi vi-„debar. Etenim conſuevit anima, quæ interdiu „cogitat, eadem in ſomnis per phantaſiam cernere; „quod & nobis tunc accidit, & vos carneis ocu-„lis minime videns, oculis charitatis cernebam, „corporeque abſens, affectu præſens eram. Meæ „aures ſemper clamore veſtro perſonabant. Quare „& corporis ægritudine ibi diutius cogente immo-„rari, & aëris ſalubritate ad carnis ſanitatem pro-„ficiente, id vis amoris veſtri non tolerabat, ſed „exclamabat, neque prius moleſtus eſſe ceſſavit, „quam nobis perſuaſerit, ante præfixum tempus „exurgere, & ſanitatem, & voluptatem, & omne, „quodcunque eſt bonum, conventum hunc veſtrum „exiſtimare. Huic igitur morem gerentes, maluiſ-„ſemus redire, tametſi morbi reliquiæ reſtarent, „quam corporis infirmitatem prorſus deponere ſat „agentes, de cetero charitati veſtræ moleſtias in-„ferre. Nam & illic manens criminationes veſtras „audiebam. Continuæ enim literæ has nobis affe-„rebant, animumque adhibui criminantibus nos mi-„nus, quam laudantibus. Nam animæ ſcientis „amare illæ criminationes fuerant, abſentiam no-„ſtram accuſantes. Propterea ſurgens cucurri, pro-„pterea nunquam mea vos mente quivi exclu-„dere.„

Ejusdem Deſiderium, vincula pro Chriſto induendi, ſupra eſt datum: Deſiderium vero videndi, amplectendique corpus Pauli alias dabitur.

Neque vero minus præſtanter lenire eum affectum novit. Exemplo ſit inſignis *Tractatus ad Viduam juniorem*, qui in eo totus conſumitur, ut fœminæ nobiliſſimæ deſiderium mariti amiſſi tolerabilius reddat.

In

In eodem argumento eadem laude verſati ſunt Hieronymus, Ambroſius, Bernardus, quorum prior deſiderium Paulæ erga filiam, reliqui duo ſummet deſiderium erga fratrem eximere, aut moderari ſaltem voluerunt.

Spei expectationem, quæ idem eſt cum deſiderio, eleganter mollit divus Chryſologus *ſermone* 71. *ad finem*, & divus Thomas Villanovanus in *Concione funebri*, itidem *ad finem*, qui ipſe legi etiam meretur *ſermone* 2. *Dominicæ XVII. poſt Pentecoſten*, & Concione *de S. Michaële*, quibus duobus locis deſiderium ſimul urget, & temperat.

CAPUT VI.

Specimina Deſperationis.

Non admodum frequens, major tamen Deſperationis uſus eſt, ac primo aſpectu videri fortaſſe poſſit. Etſi enim deſperationem *veniæ*, *auxiliorum cæleſtium*, *melioris vitæ*, atque adeo ipſius *ſalutis* excitare nusquam licet, quam tollere potius modis omnibus, & prævertere debemus: nihilominus evenire multa poſſunt, ubi verſare eam, & adhibere præ omnibus aliis neceſſum ſit. Quod ipſum Patrum nonnulli egregie profecto præſtiterunt. Vel enim deſperationem impœnitentium, & damnatorum deſcribunt; vel hujus ipſius affectus cum natales, tum progreſſus, & exitus oſtendunt; vel male fundatas, ſtultas que illorum ſpes evertunt, qui *differunt pœnitentiam,* qui in *miſericordia divina præſidunt* audacius, qui in *hac vita quietem ſibi & felicitatem pollicentur*, qui in *occaſiones peccandi temerarie ſeſe ingerunt*, qui *hominum ſavori, & potentiæ toti innituntur*. Hoc vero dum faciunt Patres, jam *extremam difficultatem, & obſtacula inſuperabilia*, jam *defectum ſubſidiorum*, jam

naturæ noſtræ, & *terrenorum omnium fragilitatem, inconſtantiam, & miſerabiles* caſus ob oculos ponunt. Atque in eo genere plura deinceps Specimina occurrent, ubi de procraſtinata pœnitentia, de præſumptione, de occaſione proxima, de fiducia in mortalibus collocata ex inſtituto nobis agendum erit.

Præclare animæ male ſibi conſciæ deſperationem, ubi e corpore illa egreditur, Euſebius Gallicanus * ob oculos poſuit:

„Quam tarde, inquit, miſeram animam malo„rum ſuorum pœnitebit, cum die ultimo ſuper„veniente ſeparari ſe a corpore ſuo viderit! cum „ſibi in fine claudenti oculos nigreſcere, & hor„reſcere ſempiterna nox cœperit! cum jacere ante „ſe vacuum ſalutis, ac lucis infelicem commilito„nem ſuum viderit, incentorem pariter, ac de„ceptorem, cum quo de arena mundi hujus per „flagitium ſuum victa diſceſſit, cum cœperit ab „eodem jam divulſa immanes & inanes dare ſuper „eum planctus, & dicere: ubi ſunt animoſitates, „& cupiditates tuæ, quibus hucuſque impatienter „arſiſti, & arſura jugiter congregaſti? ecce tran„ſierunt illa omnia tanquam umbra, abierunt ob„lectamenta, & ſola in perpetuum opprobria, & „crimina remanſerunt. Væ mihi o anima! ad tam „perditum vas velim nolim reditura ſum, & pro„pter fugitivas voluptates nunquam effugiendis „cum eo vaporibus concremanda! Quid inter hæc, „cum eam cœperit ad definitam ſententiam, & „immobili lege defixam, importunus depoſiti ex„actor abſtrahere, & hinc inde inſultare, & inſi„ſtere infernalium diræ facies miniſtrorum? quid „erit, cum ab apparitoribus mortis per hunc va„ſtum aërem ſeparari, & per ſemitas tenebrarum „abduci

* *Homilia* 1. *ad Monachos.*

„abduci trans diem cœperit, & nequaquam reme-
„abile iter agere per fines illos, ubi ipſa lux de-
„ficit, cum peregrina ubique anima comitante ma-
„lorum ſuorum triſti agmine viderit ſe per extre-
„mas mundi oras in illud inane, ac vacuum ca-
„dere de mundo, atque illud magnum chaos, quod
„vitæ, mortisque regionem diſcernit, intrare, &
„vitales auras naturæ ipſius exul amittere? cum
„rebus humanis vale ultimum dicens, mortem an-
„te ſe habens, & vitam poſt ſe relinquens, in illud
„horrendum, & vix oculis attingendum petrahetur
„profundum, diverſis avaritiæ, ac malitiæ catenata
„criminibus, quantum perdidit pretium, tantum
„exceptura ſupplicium? Cum ad hæc itaque cru-
„delis cuſtodiæ perventum fuerit loca, ubi jam fu-
„turi pœnarum judicii ipſa ſui expectatione deſæ-
„viet, ne dicam aliud, ſolus mœror excruciabit
„animam, univerſis ſolatiis deſtitutam, ſola tor-
„quebit cogitatio deſperatam, ſolus metus exani-
„mabit attonitam: & quia ibi jam nulla erit pa-
„randi victus, aut veſtitus ſolicitudo, nulla labo-
„randi, militandi, agendive occupatio, nulla fa-
„cultatis, aut honoris ambitio, ſolus mentem om-
„nibus aliis curis vacuam intolerandus reddendæ
„rationis terror implebit, ſolum ac totum judicii
„pondus captivis ſenſibus imminebit. . . . Quid
„tunc animi habebit, cum alios illic erogante Do-
„mino percipere viderit illæſæ, & integræ fidei
„bravium candidæ theſaurum caſtitatis, fructus mi-
„ſericordiæ, talenta juſtitiæ? cum indigna ſibi ſor-
„te conſpexerit noviſſimos de primis fieri, & de
„noviſſimis primos? pauperes ſupra divites, ſervos
„ſupra Dominos glorificari, & unumquemque pro
„meritis immortalitatis luce perfuſum in angelo-
„rum ſtatum ex hominibus promoveri, & cum
„terreno quondam corpore ſupra excelſa regni cœ-
„leſtis imponi, & inter filios majeſtatis opulenta

„parentis Dei hæreditate ditari: ſe autem inter „hæc cum peccatis ſuis relictam, de ſpectaculo fe- „licitatis alienæ dolorum initia reportantem? quid „poſt hæc, cum ſe miſera conditione viderit omni „conſolatione nudatam in exteriores tenebras ex- „cuti, & ab illa beatorum eccleſia perpetua ex- „communicatione ſecluſam ab ipſa vitæ radice præ- „cidi. Illud autem quomodo trepidus, & male „conſcius ſermo poterit explicare, cum cœperit „inexpiabilis caro, & infertæ peccatis medullæ, „ſævis gehennæ æſtibus penetrari, & more ferven- „tium, ac decoquentium metallorum inextingui- „bili ardore hominis ſubſtantia intus infundi, & „depaſcentibus flammis corpora, atque animas ex „parte conſumi, ex parte nutriri: ut inter medios „ignium globos damnata natura det pabulum, & „accipiat incrementum? . . . . occidente itaque „pœna, & vivificante ſententia ſtabit ſæculis ma- „teria reparabilis, & nunquam ad metam malo- „rum termino fugiente perveniet, & dum ſibi nul- „lam ſpem promittere poterit vel poſt immenſa tem- „pora, jam etiam in præſenti ſentientur conſequen- „tium tormenta ſæculorum, ac ſic dolorem mortis „conſcientiæ impoſitæ immortalitas augebit. Væ „qui hæc lugenda in poſterum, ridenda nunc pu- „tant! væ quibus hæc prius experienda ſunt, quam „credenda!„

S. Eucherius, quem eundem diximus cum Euſebio hoc Gallicano, *Parœneſi ad Valerianum* ex calamitatibus ſæculi ſui homines ad deſperandam terrenam felicitatem, atque ad inquirendam cœleſtem, hunc in modum adducit:

„Ita ergo hactenus de inextricabilibus ſæculi „inſidiantis illecebris, de honoribus, opibusque „ſermocinatus ſum, tanquam ſi jucundus blandi- „mentis ſuis mundus vigeret. Quid quid eſt, il- „larum rerum facies adumbratis quondam nitori-

„bus

„bus expolita jam obſolevit, omnisque fucatus ſplen-„dor intercidit. Vix jam hoc habet mundus, ut „fallat. Periit imago illa rerum ad decipiendum „uſque decora. Prius nos ſeducere vero cogita-„bat fulgore; non poterat: prope jam non valet „& ipſa nos falſa oſtentatione corrumpere. Soli-„dis bonis carebat, ecce deficit etiam caducis! „non hunc aut ad tempus ſpecioſa ornant, aut „impoſterum manſura confirmant Niſi nosmet-„ipſi decipimus, pene mundus decipere nos non „poteſt. „

„Sed quid diſſimulamus ea exponere, quæ for-„tiora ſunt? diſſipatas loquimur opes mundi, cum „jam ipſe mundus in finem ſuum vergens ſpatiis aga-„tur extremis? quanto iſtud majus & gravius eſt, „quod jam ipſe non in longum erit? Quid com-„memoramus attritam ejus rem, ac ſupellectilem? „nec immerito in defectum viribus ævo conſumptis „urgetur, adminiculisque ſuis deſtituitur, cum jam „in ſenium nutanti oneri ſuccumbat. Poſtrema „mundi ætas refecta eſt malis, tanquam morbis ſe-„nectus. Viſa ſunt, videnturque jam dudum iſto „cano ſæculo fames, peſtilentia, vaſtitas, bella, „terrores. Hi ſunt in ultimis jam annis lanquo-„res ſui. Hinc ſæpe illa cœli cernuntur ſigna, „motusque terrarum, permutatæ temporum vices, „monſtroſæ animantium fæcunditates, quæ omnia „adhuc procedentis prodigia ſunt temporis, ſed jam „deficientis. Atque hoc non infirmitatis noſtræ „verbis, ſed etiam Apoſtolicæ auctoritatis confir-„matur eloquiis. Illic enim legitur: *In nos fi-„nes ſæculorum devenerunt.* Quod cum jam dudum „dictum ſit, quid cunctamur? quid expectamus? „urget nos dies ille jam non noſter tantum, ſed „& ſæculi. Omnis hora illud debitæ reſolutionis „admonet tempus inſtare, cum ancipiti periculo „finis alternus, & diſcrimen geminum unam om-

„nibus mortem minatur. Incumbit mihi miſero „jam mundi mortalitas, tanquam mihi non ſufficiat „ad terrorem mea. Quid palpamus metus no„ſtros? ſecuritati locus non eſt, quando terminus „in nos impendet indifferenter ſingulorum hinc, „illinc omnium. Quo magis eſt in hoc, non „jam dicam ſæculi exitu, ſed vel in hoc rerum „ejus defectu hominum miſeranda conditio, qui „ſibi nec futurorum ſpem gaudiorum reponunt, „cum jucunditate præſentium non fruantur. Vo„luptatem vitæ brevioris non capiunt, perpetuæ „ſperare non poſſunt: bonis temporalibus non „utuntur, non utentur æternis: hic rei parum, „illic ſpei nihil; dolendus prorſus, atque miſeran„dus hominis ſtatus iſte eſt, niſi forte faciat de „acerbiſſima conditione congruam neceſſitatem, „niſi ob hoc ipſum ad potiora utilitatis ſuæ reme„dia ſe corrigat, contendatque ad ſalubrioris vota „conſilii; præſertim cum ita dilacerata præſentis „temporis res ſit, ut qui unius futuri ſæculi com„modum perdit, utriusque perdiderit.„

Superſunt ea ſpecimina, quibus deſperationem demere, atque ab animis perditorum penitus evellere Patres allaborarunt. Verum quoniam mox de affectu ſpei diſtincta, & copioſa tractatio nos expectat, illuc velut in proprium ſibi locum rejicienda ea putavimus.

CAPUT VII.

Specimina Doloris *ac* Pœnitudinis.

Dixi *dolor* ac *pœnitudo;* neque enim hic ſtricto illo ſenſu ſumitur, philoſophis uſitato, quibus *offenſionem animæ ex carne* ſignificat. Itaque dolorem, ac pœnitudinem Patres excitant erga peccata, & quæ cum peccatis connexa ſunt. Cujus varia incentiva habent *offenſam Dei* infinite boni,

ni, *cæcitatam*, *ingratitudinem*, *difficultatem*, *damna*, & *pericula*, *atrocitatem*, & *pœnas*, quæ in omni peccato reperiuntur. Contra dolorem, ac pœnitudinem temperant in *rebus caducis*, & *temporalibus*, ut infra de *triſtitia* dicemus. Sed nec illum dolorem, qui de peccatis concipitur, perpetuum volunt, certe ſpe, gratitudine, gaudio, amore temperandum affirmant.

S. Bernardus *ſerm. 26. in cantica* ita amiſſum fratrem dolet:

„Quousque enim diſſimulo, & ignis quem in„tra me ipſum abſcondo, triſte pectus adurit, in„teriora depaſcitur? clauſus latius ſerpit, ſævit „acrius. Quid mihi & cantico huic, qui in ama„ritudine ſum. Vis doloris abducit intentionem, „& indignatio Domini ebibit ſpiritum meum. Sub„tracto ſiquidem illo, per quem mea in Domino „ſtudia utcunque libera eſſe ſolebant, ſimul & cor „meum dereliquit me. Sed feci vim animo, ac „diſſimulavi uſque huc, ne affectus fidem vincere „videretur. Denique plorantibus aliis ego ut ad„vertere potuiſti, ſiccis oculis ſecutus ſum inviſum „funus, ſiccis oculis ſteti ad tumulum, quousque „cuncta peracta ſunt exequiarum ſolennia. Indu„tus ſacerdotalibus, ſolitas in eum orationes pro„prio ore complevi, terram meis manibus ex mo„re jeci ſuper dilecti corpus terram mox futurum. „Qui me intuebantur, flebant, & mirabantur, „quod non flerem ipſe, cum non illum quidem, „ſed me potius, qui illum amiſiſſem, omnes miſe„rarentur. Cujus enim vel ferreum pectus ſuper „me ibi non moveretur, quem videret Gerardo ſu„perſtitem? commune damnum, ſed præ meo non „reputabatur infortunio. At ego, quibus pote„ram viribus fidei, reluctabar affectui, nitens vel „invitus non moveri fruſtra addictione naturæ, uni„verſitatis debito, conditionis uſu, potentis juſſu, „judi-

„judicio juſti, flagello terribilis, Domini voluntate.„

„Semper ex tunc & deinceps exegi a memetipſo non indulgere multum fletui, multum tamen turbatus, & mæſtus non potui imperare triſtitiæ, qui potui lacrimæ, ſed ut ſcriptum eſt, *turbatus ſum, & non ſum locutus.* At ſuppreſſus dolor altius introrſum radicavit, eo ut ſentio acerbior factus, quod non eſt exire permiſſus. Fateor, victus ſum. Exeat neceſſe eſt foras quod intus patior. Exeat ſane ad oculos filiorum qui ſcientes incommodum, planctum humanius æſtiment, dulcius conſolentur. Scitis o filii! quam juſtus ſit dolor meus, quam dolenda plaga mea. Cernitis nempe quam fidus comes deſeruit me in via hac, qua ambulabam, quam vigil ad curam, quam non ſegnis ad opus, quam ſuavis ad mores. Quis ita mihi perneceſſarius? cui æque dilectus ego? frater erat genere, ſed religione germanior. Dolete quæſo vicem meam, quibus hæc non ſunt. Infirmus corpore eram, & ille portabat me: puſillus corde eram, & confortabat me: piger & negligens, & excitabat me: improvidus & obliviofus, & commonebat me. Quo mihi avulſus es? quo mihi raptus a manibus homo unanimis, homo ſecundum cor meum. Amavimus nos in vita, quomodo in morte ſumus ſeparati? Amariſſima ſeparatio, & quam non poſſet omnino efficere niſi mors. Quando enim me vivus vivum desereres? Omnino opus mortis horrendum divortium. Quis enim tam ſuavi vinculo mutui noſtri non perpeciſſet amoris, niſi totius ſuavitatis inimica mors? bene mors, quæ unum rapiendo duos furioſa peremit. An non mors etiam mihi? imo plus mihi, cui utique omni morte infelicior vita ſervata eſt. Vivo, ut vivens moriar: & hoc dixerim vitam? Quam mitius me „priva-

„privares o auſtera mors vitæ uſu, quam fructu. „Nam vita ſine fructu gravior mors. Denique du„plex malum ligno paratur infructuoſo, ſecuris & „ignis. Ergo meis laboribus invidens elongaſti a „me amicum & proximum, per cujus maxime ſtu„dium erant (ſi quando erant) fructuoſi. Satius „proinde mihi fuiſſet periclitari vita, quam tua „Gerarde præſentia, qui meorum in Domino ſtu„diorum eras ſolicitus incitator, fidelis adjutor, „cautus examinator. Cur quæſo aut amavimus, „aut amiſimus nos? dura conditio; ſed mea miſe„randa fortuna, non & illius. Nam tu chare „frater, ſi charos amiſiſti, chariores utique recepi„ſti: me vero quænam jam miſerum conſolatio „manet poſt te unicum ſolatium meum.„

„Heu ſublatus es, & hæc omnia ſimul. Tecum „omnes pariter abiere deliciæ & lætitiæ meæ. Jam „curæ irruunt, jam moleſtiæ hinc inde pulſant, & „anguſtiæ undique ſolum me reperiunt, ſolæ mihi „te abeunte remanſerunt. Solus ſub ſarcina gemo. „Aut ponere, aut opprimi neceſſe eſt, quia tu tuos „humeros ſubduxiſti. Quis mihi tribuat cito mori „poſt te? nam pro te nolim, nec te tua fraudare „gloria. Porro ſupervivere tibi labor & dolor. „Vivam quoad vivam in amaritudine, vivam in „mœrore, & hæc ſit mihi conſolatio, ut mærendo „affligar. Non parcam & juvabo manum Domini. „Etenim manus Domini tetigit me. Me inquam „tetigit, & percuſſit, non illum, quem vocavit „ad requiem. Me occidit, ſuccidit illum. Num„quid enim occiſum quis dixerit, quem plantavit „in vita. At quod illi vitæ janua fuit, mihi plane „eſt mors, meque illa morte mortuum dixerim, „non hunc, qui obdormivit in Domino. Exite „lacrimæ jam pridem cupientes! exite, quia is, „qui vobis meatum obſtruxerat, commeavit. Ape„riantur cataractæ miſeri capitis, & erumpant fon-

„tes aquarum, ſi forte ſufficiant ſordes diluere cul-„parum, quibus iram merui. Cum conſolatus „fuerit ſuper me Dominus, tunc fortaſſis & ego „merear conſolari, ſi tamen non pepercero a mœ-„rore; nam qui lugent ipſi conſolabuntur.„

Creditus Sixtus III. *Libro de malis Doctoribus, verſus finem*, pœnitudinem ex ipſa pœnitudine ciens, præſentem ſcilicet ex futura, ſalutarem ex inutili, tempeſtivam ex ſera nimis, ita damnatos in judicio ſortem ſuam dolentes introducit:

„Quæ tunc nobis peccatoribus, inquit, anxie-„tas erit? quæ animorum mæſtitia? qui lamentati-„onis gemitus? qui fletus oculorum? videre ju-„ſtos ſpebus, & præmiis cœleſtibus munerari, & „nos ejusdem beatitudinis perceptione indignos ha-„beri, quam noſtri ſimilis natura ſortita ſit! quan-„tus dolor ſit nimium deſideranda conſpicere, & „cum conſpexeris non tenere! mirari tantum in „aliis, quod in te mirabile eſſe potuerat: non poſ-„ſidere, quod cupias, & quod abhorreas ſuſtine-„re! videre alios ab Archangelis, Angelis, cete-„risque divinis miniſtris ad regnum ſibi præparatum „cœleſtis pompæ dignitate deduci, & te a pœna-„libus miniſtris ad tartari rapi ſupplicia! quo tunc „animo miſerandi erimus, vel qua faciei confuſi-„one ante tantæ majeſtatis gloriam ſtabimus, cum „horum diſſimiles inventi fuerimus in meritis, quo-„rum videbamur eſſe in religione conſimiles! Quo „igitur mœrore cordis, quove mentis angore a „Dei facie ſanctorumque omnium præſentia, & „ab illis divinis immortalibusque deliciis averſi cum „diabolo, atque angelis ejus abibimus deputati? „quibus vocibus, quibusve lacrimis cœleſti regno „cum ſuis dicemus: *vale!* Tandem jam pœnitebit „ſanam recuſaſſe doctrinam & ſalubria audire mo-„nita noluiſſe. Tandem jam perſuaſio illa, quæ nunc „pluribus placet, diſplicebit. Tandem dolebit ab-

„jectos,

„jectos & pauperes fuiſſe contemptos, & humanis „magis aſſenſum præbuiſſe ſermonibus, quam di„vinis. Tandem illius doctrinæ, cujus quosdam „acerbitas abſterret, agnoſcetur utilitas. Tandem „ſpes illa, quæ illudit nunc plerosque, deflebitur. „Sero pigebit humanis inhiaſſe opibus, & tempo„ralibus quam æternis uti honoribus maluiſſe. Alii „interitus ſui cauſam intellectui proprio, alii ex„traneis magiſteriis imputabunt: ſed nihil jam pœ„nitentiæ dolor proderit, ubi pœnitendi tempus „effluxerit.„

Vide etiam, quæ infra de Affectu *Triſtitiæ.* & ſeptimo Libro de *Lamentis*, & *de Querelis* afferemus.

CAPUT VIII.

Specimina Gaudii, & Delectationis.

Neque hic affectus, qui ex præſente bono oritur, infrequens eſt apud Patres. Nam & deſcribunt illum ſæpius, & aliis gratulantur, & recordatione ejus ſeu paſcunt, ſeu paſcuntur. Præcipua vero argumenta, ex quibus gaudium illi derivant, ſunt *quies animi* recte ſibi conſcii, *æquitas cauſæ; bonitas*, *favor* & *præſidium ſpeciales Dei; Proſperitas Eccleſiæ*, *declinata* vel *ſuperata pericula, præteritarum moleſtiarum finis*, *eventus præter exſpectationem ſecundi*, *conſolationes ſupernæ*, *recordatio paradiſi*, *mors ſancta* &c. Contra gaudium temperant, aut omnino adimunt in *bonis temporalibus*, quæ docent *repugnare fini noſtro; incerta*, *brevia*, *inania, communia brutis* eſſe, *animos nunquam ſatiare, amaritudinem, impenſas, curas* admiſtas habere, *mæſto fine* concludi, & poſt mella meros aculeos relinquere, *afferre damna maxima* corpori atque animæ, & nunquam non cum ſalutis periculo conjungi.

Quam

Quam belle, quam graviter publicum orbis gaudium exprimunt illa *ſerm.* 195. *append.* olim *ſerm.* 136. inter Auguſtinianos *de Tempore?*

„*Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, &* „*lætemur in ea!* Non queo fratres chariſſimi, quod „mente concipio, ore proferre, & cordis mei læ„titiam lingua non explicat. Hoc autem non ſo„lum ego patior, qui cupio narrare, quæ ſentio, „ſed etiam vos meum patimini, plus exultantes „in conſcientia, quam in eloquio proferentes. Vi„detur mihi hæc dies ceteris diebus eſſe lucidior, „ſol mundo clarior illuxiſſe, aſtra quoque omnia, „vel elementa lætari, & quæ patiente Domino pro„prium lumen retraxerant, & noluerunt creatorem „ſuum aſpicere crucifixum, ecce nunc victorem „illum, & ab inferis reſurgentem novo charitatis „ſuæ proſequuntur obſequio. Credit cœlum, cre„dit terra, & ſagena, quæ totum mundum piſcata „eſt, Judæos tenere non potuit. *Hæc dies, quam* „*fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*.„

Tenerrimum virgineæ matris gaudium *atque intimam voluptatem,* cum Deum filium in ſinu foveret, ita deſcribit B. Amedeus Lauſanenſis *hom.* 4.

„Videbat oculis, & manibus tractabat verbum „vitæ. Felix, cui præſtitum eſt, fovere eum, „qui fovet, ac nutrit omnia, portare portantem „univerſa, lactare filium, qui lac ipſis uberibus in„fudit, paſcere cuncta paſcentem, & eſcam avibus „adminiſtrantem. Pendebat in collo ejus patris „ſapientia, & in humeris ejus virtus movens cuncta „reſidebat. Stabat in ſinu materno parvulus Jeſus, „& in gremio quieſcebat virgineo ſanctarum requies „animarum. Aliquando ſubnixo capite læva, dex„traque tenentem vultu placidiſſimo genitricem „aſpiciebat, quem deſiderant angeli videre: & blan„do murmure vocabat genitricem, quem omnis ſpi„ritus appellat in neceſſitatibus. At illa repleta

„ſpiritu ſancto, ſanctum pectus ſuo pectori copu-„labat, & faciem illius faciei ſuæ applicabat. Non „nunquam oſculabatur manus, & brachia, & ma-„terna confiſa licentia ab ejus ore ſacratiſſimo dul-„cia oſcula carpebat. Non ſatiabatur viſu, nec „implebatur auditu, quia illum videbat, & audie-„bat, quem multi reges, & prophetæ voluerunt „videre, & non viderunt, & audire, & non au-„dierunt. „

Audiamus unum adhuc locum, ubi S. Bernardinus ſuam in Maria delectationem explicat; quem legere ego quidem nunquam poſſum, quin reguſtem identidem; ita demulcet, ita excitat, ita incendit:

„Teſtis eſt mihi conſcientiæ Deus, inquit *ſerm.* 3. „*de nomine Mariæ;* quia ſi quando gratia largiente „exterioribus curis exemptus laudibus Virginis va-„leo totus vel per horulam occupari, tanta men-„tis lætitia ſaucior, tauta interius ſuavitate perfun-„dor, ut cunctis mundi vanitatibus conculcatis ni-„hil malim, aut appetam, quam cum ipſo lætitiæ „impetu, ſi daretur, exilire ſtatim ad Dominum, „antequam illud gaudii ſpiritualis curis iterum re-„deuntibus auferatur, & cythara mihi vertatur in „luctum, & jubilus, pro dolor! in lamentum. „Vide igitur, quantæ ſit felicitatis, & gloriæ, in „illa patria Dei genitricem ſtipatam ordinibus an-„gelorum in ſuæ dignitatis ſolio revelata facie con-„templari, quandoquidem adhuc in ſordibus carnis, „& in mundi luto degentibus tam læta contingit „in ejus nominis contemplatione ſentire. „

Non eſt multi negotii, ſi in re læta lætitiam præferas: id vero difficultatis & artificii quam plurimum adjunctum habet, cum ipſa adeo triſtia argumentum lætitiæ facis, & abſtergere mœrorem non contentus, inexpectata animos voluptate perfundis. Ita Chryſoſtomus fecit non ſemel. Quam enim

enim exhilarant, quæ initio *homiliæ* 1. *in geneſin* habet! quod gaudium inſpirant! quantam ad jejunii Religiones alacritatem injiciunt!

„Gaudeo, & lætor videns hodie Eccleſiam Dei „filiorum ſuorum multitudine ornari, vosque om„nes multa cum jucunditate concurriſſe. Nam „cum alacres vultus veſtros intueor, voluptatis, „quæ in animabus veſtris eſt, conjecturam capio „maximam: quemadmodum & ſapiens quispiam „dicebat: *Corde lætante viret facies*. Eapropter „& ipſe hodie ingenti alacritate ſurrexi, una vo„biscum lætitiæ illius ſpiritualis particeps futurus, „& volens adventus ſanctæ quadrageſimæ remedii „inquam animarum noſtrarum vobis annutiator eſſe. „Communis enim noſtrum omnium Dominus, ve„luti pater filios amans, cupiens ea, quæ unquam „peccaverimus, abluere, hanc nobis per ſanctum „jejunium curationem adinvenit. Nullus igitur „mæſtus, nullus triſtis appareat, ſed omnes exul„tent, & gaudeant, ac gloriam referant in anima„rum noſtrarum curatorem, qui hanc optimam no„bis aperuit viam, & illius adventum magna cum „alacritate accipiant. Confundantur gentiles, pu„dore ſe abdant Judæi, videntes noſtram charita„tem hilari ſtudio illius adventum ſalutantem, ac „excipientem: diſcantque per experientiam, quan„tum inter nos ſit, & ipſos intervallum. Et illi „quidem ferias, & feſta nominent ebrietatem, om„nemque aliam intemperantiam, ac turpitudines, „quas veri ſimile eſt, eos inde contrahere: at Ec„cleſia Dei ea, quæ illis adverſa ſunt, nempe je„junium, ventris deſpectum, & omnes alias virtu„tes illius comites, ferias appellet. Hæ enim ve„ræ feriæ ſunt, ubi animarum ſalus, ubi pax, & „concordia eſt, ubi omnis hujus vitæ apparatus „abigitur; ubi clamor, & tumultus, & coquo„rum diſcurſus, & pecudum mutationes e medio

„tollun-

„tolluntur: quies vero omnis, & tranquillitas, & „charitas, & gaudium, & pax, & manſuetudo, „& innumera bona pro illis in uſu ſunt. De „illo igitur pauca, obſecro, charitati veſtræ col-„loquamur, idque primum rogemus. Ut ſermo-„nes illos noſtros placide ſuſcipiatis, quo domum „fructum quemdam inſignem aſſecuti, redeatis. „Neque enim temere, & fruſtra huc convenimus, „ut unus quidem loquatur, alius vero quæ dicun-„tur, plauſibus excipiat, & ſic hinc excedamus: „ſed ut & nos frugiferum quiddam, & ſaluti ve-„ſtræ conducibile loquamur, & vos lucro e di-„ctis noſtris accepto, & amplæ utilitatis fructum „nacti hinc exeatis.„

Gaudium præclare temperat divus Gregorius *hom.* 26. *in Evangelia*, ubi ſuos monet ita in feſtis Paſchalibus lætari, ut a feſto ſempiterno, cujus illa veluti umbra quædam eſſent, non excluderentur.

Gaudium, & delectationem ex peccato, maxime luxuriæ, inſignibus duobus locis tollit Chryſoſtomus *hom.* 37. & 22. *in* 1. *ad Corinth.* delectationem vero ex matrimonio, & felicibus etiam nuptiis S. Gregorius Nyſſenus *Libr. de Virginitate.* Et rurſum Chryſoſtomus Libro ejusdem argumenti. Ex mundi bonis, & honoribus generatim idem Chryſoſtomus *homilia in Eutropium.* Ipſam vero Triſtitiam Chriſti cauſa conceptam, gaudium & voluptatem maximam habere oſtendit inſigni loco *in Libro de Virginitate cap.* 64.

CAPUT IX.

Specimina Gratitudinis.

Eſt vere idem cum amore. Et hoc ſolo ab eo diſtinguitur, quod objectum ſimpliciter ut ſibi bonum reſpicit, atque in referendam gratiam fertur.

tur. Hunc porro affectum Patres ſæpiſſime excitant erga *Deum*, erga *parentes*, erga *ſuperiores*, maxime Eccleſiaſticos, & quicunque nobis aliqua ratione benefecerunt. Quod dum faciunt, extollunt *magnitudinem*, *varietatem*, *numerum*, *continuationem beneficiorum*; oſtendunt *indignitatem*, *malam comparationem animi in beneficiario*, *expectationem benefici*: objiciunt *turpitudinem*, & *periculum ingratitudinis*, *novam liberalitatem*, quam gratitudo provocat, *poliicentur*.

S. Bernardus *ſerm. de quadruplici debito* ita nos ad gratiam ſervatori referendam hortatur.

„Chriſto Jeſu debes omnem vitam tuam, quia „ipſe vitam ſuam poſuit pro vita tua, & cruciatus amaros ſuſtinuit, ne tu perpetuos ſuſtineres. „Quid tibi dirum, vel durum eſſe poterit, cum „recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die „æternitatis ſuæ, in ſplendoribus ſanctorum ante „Luciferum genitus, ſplendor, & figura ſubſtantiæ Dei venit ad carcerem tuum, ad limum tuum „infixus, ut dicitur, usque ad cubitos in limo profundi? quid non ſuave tibi, cum tibi collegeris „omnes amaritudines Domini tui, & rememorabe„ris primum quidem illarum infantilium neceſſitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum „in jejunando, vigiliarum in orando, lacrimarum „in compatiendo, inſidiarum in colloquendo. poſtremo periculorum in falſis fratribus, convitiorum, ſputorum, colaphorum, flagellorum, irriſionum, ſubſannatiorum, exprobrationum, clavorum, horumque ſimilium, quæ in ſalutem noſtri generis triginta, & tribus annis operatus & „paſſus eſt in medio terræ? o quam indebita miſeratio. Quam gratuita eſt ſic probata dilectio! „quam inopinata dignatio! quam ſtupenda dulcedo! quam invicta manſuetudo! Regem gloriæ

pro

„pro deſpicatiſſimo vernaculo, imo vermiculo cru-„cifigi! quis audivit unquam tale, aut quis vidit „huic ſimile! vix enim pro juſto quis moritur: „ipſe pro injuſtis, & inimicis mortuus eſt, eligens „exulare a cœlis, ut nos reportaret ad cœlos. Ami-„cus dulcis, conſiliarius prudens, adjutor fortis! „Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retri-„buit mihi? nonne ſi conferrentur in me omnes vitæ „filiorum Adam, & omnes dies ſæculi, & labores „omnium hominum, qui fuerunt, qui ſunt, & qui „erunt, nihil eſſet ad comparationem corporis il-„lius, quod ſpectabile, & ſtupendum eſt virtutibus „etiam ſupernis in conceptu de Spiritu ſancto, in „ortu de virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ „affluentia, in coruſcationibus miraculorum, in re-„velationibus ſacramentorum? Vides igitur, quia „ſicut exaltantur cœli a terra, ſic exaltata eſt vita „illa a vita noſtra, quæ tamen poſita eſt pro vita „noſtra. Sicut nihil ad aliquid nullam habet com-paraitionem, ita & vita noſtra nullam habet ad „vitam illius proportionem, cum illa dignior, iſta „miſerior eſſe non poſſit. Nec me putes rem ex-„aggerare ſermonibus; quia hic deficit omnis lin-„gua, nec ſufficit oculus vel ad intuendum tantæ „dignationis arcanum. Cum ergo ei donavero „quidquid ſum, quidquid poſſum, nonne iſtud „ſic eſt, ſicut ſtella ad ſolem, gutta ad fluvium, „lapis ad montem, granum ad acervum? Non ha-„beo niſi minuta duo, imo minutiſſima, corpus & „animam, vel potius unum minutum, voluntatem „meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, „qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, „qui toto ſe totum me comparavit? alioquin ſi il-„lam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua „mente, qua conſcientia vado ad viſcera miſeri-„cordiæ Dei noſtri, & audeo perfodere illud for-„tiſſimum propugnaculum quod cuſtodit Iſraël,

„& illius ſanguinis non guttas, ſed undas a quin„que partibus corporis in meum pretium detor„quere ?„

S. Thomas Villanovanus *Conc. III. in Dominicam.* 17. *poſt Pentecoſt.* admirabilem habet locum de gratitudine erga Deum exemplo brutorum, quibus boni aliquid præſtitum eſt.

„Naturaliter, inquit, omnes ad amandum be„neficos inclinamur & quid de hominibus loquor „ratione præditis, cum & animalia rationis exper„tia beneficiis ſuis gratam exhibeant amicitiam ? vi„deas ferociſſimum leonem feritate depoſita caudæ „motu, & vultus alacritate nutritori ſuæ amiciſſime „blandientem, & benefactoribus maxima benevo„lentia junctum fuiſſe legimus, eosque a magnis „incommodis & morte liberaſſe. Urſus etiam atro„ciſſima bellua non ſolum beneficiis manſueſcit, ſed „& in gratitudinis ſignum, & ut Domino ſuo „placeat, ſecum familiariter, & ad nutum ejus „meliori modo, quo poteſt & gratulatur, & ludit: „juſſus ſaltare ſaltat, luctatur etiam, cum jubetur; „nec ullum recuſat opus, quod ipſe perficere poſ„ſit, ne hero ſuo, & benefactori ingratus queat „haberi; in quod vitium ſimiliter ne incidant ele„phantes, paſcentibus ſe Indis manſuetiſſime, & „cordatiſſime obſequuntur, gaudent illos ſupra ſe „portare, ad eorum dirigi nutus, illa facere, quæ „jubentur: & cum tantum ſit animal, tantarumque „virium, homunculo debili pro beneficiis, quæ re„cognoſcit, ſervire non dedignatur. De domeſti„cis vero animalibus, ut ſunt canes, & equi quanta „gratitudine polleant, ſupervacaneum judico di„cere, cum tam in aperto ſit, & pateat cunctis. „Nullum periculum adeo terribile eſt, quod non „pro ſuis Dominis libentiſſime ſubeant, ut benefi„cia recognoſcant. Sola rationalis creatura proh „pudor! o facinus! beneficium ignorat, neſcit gra-

„titudinem,

„titudinem, gratiam non rependit, ſola ſuper om„nia bruta ad beneficium obdureſcit. Quam ju„ſtiſſime conqueritur de hoc ipſe largitor per Pro„phetam dicens: *cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & „aſinus præſepe Domini ſui; Iſraël autem me non co„gnovit, & populus meus non intellexit!* o homo „interroga jumenta, & docebunt te: eſto jumen„torum diſcipulus, qui eorum creatus es domi„nus; docebunt te inquam, gratitudinem, edoce„bunt amorem, quem exhibere teneris illi, qui de „te ita bene meritus eſt. Pudeat te ex ſchola ju„mentorum addiſcere gratitudinem, & virtute a ju„mentis ſuperari te, qui ſuperas intellectu.,,

Ingratitudinem eorum, qui Deo pro beneficiis nihil præter maleficia rependunt, ita graviſſimis verbis proponit Salvianus *Libro 4. de gubernat.*

„Cum ergo hæc a nobis deberi Domino ſatis „certum ſit, videamus, quid pro his cunctis red„dimus, quæ debemus. Quid ſcilicet, niſi totum „illud, quod ſupra diximus, quidquid indecens, „quidquid indignum, quidquid ad injuriam Dei „pertinens: actus improbos, mores flagitioſos, ebri„etates, comeſſationes, cruentas manus, fæditates „libidinis, rabidas cupiditates, & quidquid illud „eſt, quod plus poteſt conſcientia habere, quam „ſermo. *Quæ enim*, inquit Apoſtolus, *in occulto „fiunt*, ab eis turpe eſt etiam dicere. Nec ſolum „hoc. Nam hoc vetus eſt, & tam præſentium „temporum, quam præteritorum. Illud gravius, „& lugubrius, quod peccatis veteribus nova ad„dimus, nec ſolum nova, ſed quædam paganica, „ac prodigioſa, & in Eccleſiis Dei ante non viſa. „Jactantes ſcilicet profanas in Deum voces, & „contumelioſe blaſphemantes, dicentes Deum in„curioſum, Deum non intendentem, Deum negli„gentem, Deum non gubernantem: ac per hæc „immiſericordem, & impræſtabilem, inhumanum

„aſperum, durum. Nam qui non reſpiciens, & „incurioſus, & negligens eſſe dicitur, quid ſuper„eſt, niſi ut aſper, & durus, & inhumanus eſſe „dicatur? o cæcam impudentiam! o ſacrilegam te„meritatem! non ſufficit enim nobis, quod pec„catis innumerabilibus involuti, rei in omnibus „Deo ſumus, niſi etiam accuſatores Dei ſimus. „Et quæ, rogo, homini ſpes erit, qui ipſum ac„cuſat judicem judicandus?„

Idem *Libro* 6 & 7. ſæpius, & acerrime in eos invehitur qui recentibus donis, quibus emendare eos Deus volebat, ad nova ſcelera abutuntur. Verum quod longius ille excurrit, minime tranſcribendum duxi. Locum vero præ ceteris excellentem, quo obſcœnis hominibus ingratitudinem objectat, vide Libro meo *octavo*, Verbo: *Exprobratio.*

CAPUT X.

Specimina Indignationis, Iræ, Averſationis, Odii.

Hi Affectus apud nonnullos Patres rari, aliis vero frequentes, & tantum non familiares ſunt. Reperiuntur autem apud eos præſertim, qui cum hoſtibus Dei, & Eccleſiæ acerrimum bellum geſſerunt, aut depravatos ſæculi mores, & vitia exterminatum iverunt. Excitant autem oſtendendo *cæcitatem*, *indignitatem*, *atrocitatem*, *injuſtitiam* facinoris, *impoſturas* item & *abjectas artes*, *inſolentiam*, *contemptum*, *contumaciam*, *ſcandala*, *damna* cum eo conjuncta. Nec minus exaggerant, *ingratitudinem*, *ſanctitatem ſtatus priſtini*, *datæ & juratæ fidei violationem*, *plauſum & blaſphemias impiorum inde ortas* &c. Tales ſunt Tertullianus contra gentiles & hæreticos, Cyprianus contra eosdem; ubi de ſpectaculis, de crudelitate, de calumniis, & fraudibus eorum &c. Athanaſius contra Arianos. Hilarius

larius contra Conſtantium Imperatorem: Nazianzenus contra Julianum, & Arianos; Baſilius contra avaritiam; Chryſoſtomus contra eandem, & juramenta, duritiem erga pauperes, ſpectacula, luxum; Hieronymus in hypocritas, & hæreticos, Clericos malos, dubias Virgines &c. Salvianus contra oppreſſiones pauperum, impuritatem, ſpectacula, avaritiam. Bernardus contra impios Sacerdotes, & Prælatos, contra laxos monachos, & novatores quosdam.

Horum alii, ut odium creent, in promptu habent ſarcasmos, minas, exprobrationes, juramenta, inſultationes, diras, & imprecationes, alii pacatius quidem, fortiter tamen malos aggrediuntur, nihil omittentes, quo invidiam conflare iis poſſint, in contemptum eos adducant, atque ita ex paucorum infamia terrorem incutiant poſteris, & flagitiorum fugam perſuadeant.

Mitigant vero odium iidem Patres erga inimicos & adverſarios, cauſando *commune genus*, *fragilitatem*, conditionemque hominum, *paſſionis vim* ac *cæcitatem*, *intentionem minime malam*, *pœnitentiam*, *demiſſionem*, *deprecationem*, aut certe ſpem illius factam *merita priora* &c. addunt *damna & moleſtias* inimicitiarum, *doctrinam Evangelii* de patientia & humilitate, *peccatorum propriorum memoriam* ingerunt, *ſeveritatem parem comminantur*, *mandatum* & *exemplum Dei* inculcant.

En indignationem Chryſoſtomi * qui in immiſericordes ita concitatur, ut verba ejus ne audiri quidem ſine iracundiæ ſenſu poſſint, & bilis acerrima commotio, quæ in dicente fuit, vel in legentem tranſeat.

„Quæ eſt hæc inſania, exclamat: inſania quip-„pe, & manifeſta amentia eſt, arcas implere veſti-„bus,

* *Homil. 21. in 1. ad Corinth.*

„bus, & eum, qui ad imaginem, & ſimilitudinem „Dei factus eſt, nudum, a frigore trementem, ac „vix rectum ſtantem deſpicere. At ille, inquies, „tremorem, & infirmitatem ſimulat. An non timês, ne fulmen ab hoc verbo accenſum ex alto „dejiciatur? ira enim disrumpor, ignoſcite. Tu „quippe ventri indulgens, & pinguis, & ad profun„dam usque veſperam compotationem extendens, „mollibusque fotus ſtragulis, non cenſes te pœnas „daturum, cum tam inique Dei donis utaris, ne„que enim vinum datum eſt, ut inebriemur, neque „conceſſus cibus, ut ventrem diſtendamus, & di„rumpamus. Pauperem vero miſerum, non me„liore conditione, quam mortuum, illum inquam, „ad exactam rationem reddendam cogis, nec me„tuis Chriſti tribunal illud horrendum, ac formida„bile? Nam ſi ſimulat, ex neceſſitate, & egeſtate „ſimulat, ob immanitatem, & ſævitiam tuam, quæ „hujusmodi opus habet larvis, quæ non flectitur „ad miſericordiam. Quis enim adeo miſer eſt, & „infelix, ut nulla inſtante neceſſitate pro uno pane „tam indecore ſe gerat, pulſetur, & tantas ſuſti„neat pœnas? Illius itaque ſimulatio circuit, in„humanitatem tuam prædicans. Quia enim ſup„plicans, obſecrans, & miſerabilia emittens verba, „lamentans, lacrymans, & per totam diem circum„iens, ne neceſſarium quidem invenit alimentum, „hanc fortaſſe technam excogitavit, quæ non tan„tum illi, quantum tibi affert dedecus, & probrum. „Æquum eſt enim, ut illius miſereamur, quia in „tantam redactus eſt neceſſitatem: nos autem mille „ſuppliciis digni, quia pauperes ad hæc facienda „cogimus; nam ſi facile flecteremur, nunquam ille „vellet talia ſuſtinere. Et quid dico nuditatem, „& tremorem: quod enim longe horribilius eſt, „dicam, coacti ſunt quidam filios excœcare, ætate „immaturos, ut in tantæ calamitatis ſenſum veni-

„remus.

„remus. Quia enim videntes & nudi circumeun„tes, neque ex ætate, neque ex calamitate immi„ſericordes attrahebant, tot malis aliam graviorem „tragœdiam addiderunt, ut famem ſedarent, levius „eſſe exiſtimantes hac communi luce, & omnibus „conceſſo radio privari, quam cum perpetua fame „luctari, & mortem ſubire miſerrimam. Quia enim „non didiciſtis misereri paupertatis, ſed calamitati„bus delectari, inſatiabilem veſtram implent cupi„ditatem, & ſibi & vobis gehennæ graviorem in„cendentes flammam. Et ut diſcatis hæc, & ſimi„lia ideo contingere, argumentum vobis proferam, „quod in confeſſo ſit, cui nemo contradicet. Sunt „alii pauperes leves, animoque elati, qui famem „ferre neſciunt, ſed omnia potius, quam hoc pa„tiuntur. Hi ſæpe vos miſerabilibus & geſtibus, „& verbis adeuntes, cum nihil conſecuti eſſent, „miſſis ſupplicationibus, præſtigiatores demum lon„ge retro reliquerunt: alii quidem mandentes co„ria detritorum calceorum, alii acutos clavos in „caput infigentes, alii autem in aquis gelu concre„tis nudo ventre immorantes, alii autem his abſur„diora, & acerbiora ſuſtinentes, ut improbum ex„hibeant ſpectaculum. Tu autem dum hæc fiunt, „ſtas ridens, & admirans, & de aliorum malis ceu „pompam agens, dum communis natura dedecore „afficitur. Et quid amplius faceret immanis dæ„mon? Deinde ut promptius hæc faciat, largio„rem pecuniam erogas. Et ei quidem, qui pre„catur, Deum invocat, placideque accedit, ne re„ſpondere quidem dignaris, neque reſpicere illum: „imo etiam moleſta in illum verba effundis, quando „frequenter tibi importunus eſt: huncecine oportet „vivere? hunccine reſpirare, aut hunc ſolem vide„re? erga illos autem lætus es, & liberalis, utpote „qui ſis ceu agonotheta quidam illius ridiculæ, „& ſatanicæ turpitudinis: quamobrem congruen-

„tius iis, qui hæc proponunt certamina, & nihil „effundunt, donec alios viderint male affici, talia „verba dicerentur: hoſcine vivere, omnino reſpi„rare, hunc ſolem videre, qui in communem de„linquunt naturam, & Deum contumelia afficiunt? „cum enim Deus dicat: Da eleemoſynam, & do „tibi regnum cœlorum; non audiſti; diabolo au„tem oſtendente caput clavis confixum ſtatim libe„ralis effectus es, magisque te inflexit maligni dæ„monis machina, tantum inferens damnum, quam „Dei promiſſio, millia afferens bona, cum opor„tuiſſet, etiamſi aurum numerare oporteret, ut hæc „non fierent, nec facta ſpectarentur, nihil non age„re, & pati, ut tanta illa tolleretur inſania, vos „autem ut & fiant, & facta videantur, nihil non „agitis, & operamini. Adhuc ne interrogas, dic „mihi cur ſit gehenna? At ne hoc ultra interroges; „ſed cur una tantum ſit gehenna, quot enim non „ſunt ſuppliciis digni hi, qui tam crudele, & inhu„manum conſtituant ſpectaculum, ridentque de iis, „de quibus lugere & illos & vos oporteret, magis„que vos, qui ad tam indecore agendum cogi„tis? „

Aliud Specimen quam maximæ concitationis ex Germano Patriarcha alias dabimus. Nunc audiamus, qua arte Flavianus apud Chryſoſtomum *hom.* 21. *ad popul. Antioch.* graviſſime irritati Imperatoris iram, atque indignationem compreſſerit. Locus eſt admirabilis, & qui non niſi a ſummo oratore potuit proficiſci. Ubi enim amantiſſimus ſuorum Paſtor, regias ædes ingreſſus, procul Imperatore conſtitit, mutus, lacrymans, deorſum inclinatus, latitans, tanquam ipſe omnia illa patraſſet, atque ita jam paravit illius animum, & ad lenitatem inflexit, denique gemitus inter, ac ſuſpiria ita loqui cœpit:

„Con-

„Confitemur Imperator! nec negare poſſumus „amorem iſtum, quem erga patriam noſtram demonſtraſti, & ideo maxime lugemus, quoniam „ſic amatæ dæmones inviderunt, & erga benefactorem ingrati ſumus viſi, ac ſummopere nos amantem exacerbavimus. Sive diruas, ſive incendas, „ſive occidas, ſive quodcunque aliud facias, nondum dignam de nobis pœnam exegeris, nos ipſos „prævenientes innumeris mortibus miſerius affecimus. Quid enim amarius eſſe poſſit, quam cum „benefactorem, & ſic diligentem injuſte exacerbantes appareamus: & omnis hoc mundus diſcat, & „nos ut admodum ingratos condemnet? Si barbari „civitatem noſtram incurſantes, mœnia diruiſſent, „& incendiſſent domos, & abductis captivis abiiſſent, minus erat malum. Quare tandem ita? quoniam te vivente, & tantam in nos benevolentiam „exhibente, ſpes erat, illa cuncta gravia ſolutum iri, „& nos iterum ad priorem formam redituros, & „clariorem recepturos libertatem. Nunc autem ablata benevolentia tua, & amoris vinculo violato, „quod omni muro nobis erat tutius, ad quem jam „confugiemus? quo poterimus alio reſpicere, tam „dulci Domino, & facili exacerbato patre? Itaque „videntur quidem intolerabilia feciſſe, ſed paſſi ſunt „omnium graviſſima, ad nullum hominem audentes reſpicere, nec ipſum ſpectare ſolem liberis valentes oculis, pudore undique palpebras contrahente, & occultari cogente. Libertate ipſis ablata, „captivis omnibus nunc miſerius affecti ſunt, & extremam ſuſtinent ignominiam, & malorum magnitudinem cogitantes, & in quantum contumeliæ reſilierunt, nec reſpirare poſſunt, cum omnes terram „habitantes in ſui vehementiorem accuſationem ob „eum, qui injuria affectus eſt, attraxerint. Sed ſi „velis Imperator! eſt vulneri medicina, & tantis malis remedium. Sæpius & apud privatos homines

„hoc factum eſt, magnæ, & intolerabiles offenſio-„nes, magnæ charitatis materia factæ ſunt: ſic & in „natura noſtra evenit. Cum enim hominem Deus „fecit, & in paradiſum induxit, & multo dignum „fecit honore, tantam diabolus proſperitatem non „ferens, invidit, & illum a data expulit dignitate. „Sed Deus non tantum ipſum non reliquit verum „& pro paradiſo cœlum nobis aperuit; hoc ipſo „ſimul propriam demonſtrans benignitatem, & dia-„bolum magis puniens. Hoc & tu facias. Nunc „omnia moverunt dæmones, ut omnium tibi gra-„tiſſimam civitatem a benevolentia tua ſepararent; „hoc vero tu jam ſciens, pœnam quamvis exigas, „priori amicitia ne nos extrudas. Sed & ſi præter „opinionem aliquid nunc dicere fas eſt, etiam „nunc inter dilectarum primas ipſam ſcribe, ſi modo „dæmonas hæc operatos vis ulciſci. Si nempe de-„ſtruas, & ſubruas, & deleas, quæ prius illi volue-„runt, hæc efficies: Si vero iram dimittes, & te „rurſus ipſam amare, ſicut prius amabas, confitearis, „lethalem ipſis plagam intuleris, & ultimam ab ipſis „ultionem exegeris, demonſtrans non tantum nihil „amplius ipſos per inſidias perfeciſſe, verum & cun-„cta ipſis contraria, quam volebant, accidiſſe. Æquum „autem fuerit, ut hæc facias, & civitatis miſerearis, „cui propter amicitiam tuam dæmones inviderunt. „Niſi enim ipſam tam vehementer amaſſes, nec ipſam „illi tanta inſectati eſſent invidia. Itaque etſi miran-„dum eſt, quod dicitur; eſt tamen verum, quod „propter te, & amicitiam tuam hæc paſſa ſit. Quot „incendiis, quanta ſubverſione ſunt hæc verba acer-„biora, quæ reſpondens dicebas? nunc te contu-„melia affectum dicis, & pertuliſſe, quæ nullus un-„quam ſuperiorum Imperatorum. Sed ſi velis o hu-„maniſſime & ſapientiſſime, & multa humanitate „plene, diademate iſto clariorem, & majorem tibi „coronam hæc afferet contumelia. Hoc nempe „diade-

„diadema eſt, & tuæ virtutis inſigne, & ejus qui „dedit. liberalitatis indicium: ſed corona ex hac „humanitate contexta tuum ſolius erit & philoſo„phiæ tuæ meritum, nec te tantum omnes admira„buntur propter iſtos lapides pretioſos, quantum „propter victoriam de indignatione ſuperata repor„tatam laudabunt. Dejecerunt ſtatuas tuas? ſed „illis clariores reſtituere tibi licet. Si enim injuriæ „authoribus crimina remittas, & nullam ipſis infe„ras pœnam, non æream in foro tibi ſtatuam eri„gent, nec auream, nec lapillis coagmentatam, ſed „omni materia pretioſiori indutam, humanitate ſci„licet, & miſericordia. Talem in mente quisque „ſua te erigent, & tot habebis ſtatuas, quot orbem „habitant homines, & habitabunt. Non enim nos „tantum, verum & poſt nos futuri, & poſt illos „omnes hæc audient, & tanquam ipſi bene fuerint „habiti, ſic te admirabuntur, & amabunt. Et quod „hæc non aſſentans dicam, ſed ſic futurum ſit om„nino, antiquum tibi referam ſermonem quemdam: „ut diſcas non tantum exercitus, arma, pecunias, „ſubditorum multitudinem, & alia hujusmodi „ſplendidos facere Reges conſueviſſe; quantum ani„mi philoſophiam, & manſuetudinem. Fertur bea„tus Conſtantinus effigie ſua aliquando lapidata, „multis ipſum inſtigantibus ad ſupplicium de autho„ribus contumeliæ ſumendum, & dicentibus eos „omnem ipſius faciem ſaxis vulneraſſe, manu fa„ciem palpans, & leniter ridens dixiſſe: Ego vero „nusquam vulnus in fronte factum video, ſed ſa„num quidem caput, ſana vero & facies tota. Illi „vero reveriti, & confuſi, ab hoc iniquo deſtitere „conſilio; & hoc verbum hactenus canunt omnes: „nec tantum temporis labefecit, aut hujus philo„ſophiæ memoriam extinxit. Quot non ſit hoc „trophæis ſplendidius? multas urbes ille condidit, „& multos barbaros ſuperavit, ſed meminimus illo-

„rum

„rum nihil; hoc autem verbum usque in præſen-„tem diem canitur, & poſteri noſtri, & poſteri il-„lorum omnes idipſum audient. Nec ſolum eſt „admirandum, quod audient, verum etiam quod „laudibus, & fauſtis verbis proſequentur, dicentes-„que laudabunt, & audientes grate ſuſcipient: nec „ullus eſt, qui hæc audiens, ſilere poſſit; quin pa-„riter exclamet, & talia dicentem laudet, & innu-„mera ipſi vel defuncto bona precetur. Quod ſi „propter illud verbum apud homines tanta potitus „eſt gloria, quot apud benignum Deum coronas „aſſequetur? quid autem opus eſt Conſtantinum, „& aliena exempla commemorare, cum te de pro-„priis meritis tuis opus ſit exhortari? Recordare „priorum, quando ſolennitate hac ſuperveniente „per totum orbem terrarum epiſtolam miſiſti, ju-„bentem carcere detentos dimitti, ipſis ignoſci cri-„mina, atque illis humanitatem tuam demonſtrare „non ſufficientibus, per literas dicebas: Utinam mi-„hi liceret & defunctos revocare, & reſuſcitare, & „ad priorem vitam reducere. Horum nunc remini-„ſcere verborum! ecce tempus defunctorum revo-„candorum, & reſuſcitandorum, & ad vitam re-„ducendorum priſtinam. Et hi namque jam mortui „ſunt, & priusquam judicium proferatur, ad ipſas „tartari fores jam nunc civitas collocata eſt. Ipſam „igitur inde reſuſcita ſine pecuniis, ſine impendio, „ſine tempore, & ullo labore. Tibi namque ſatis „eſt, tantum loqui, & revocare civitatem in tene-„bris jacentem. Nunc ipſam jube ab humanitate „tua hac appellari. Nec enim tantam habebit gra-„tiam illi, qui ab initio ſe condidit, quantam ſen-„tentiæ tuæ, nec immerito. Ille enim principio „ipſi dato receſſit; tu vero auctam, & magnam „effectam, & poſt multam hanc tranquillitatem de-„ſtructam reſuſcitabis. Non fuiſſet adeo mirandum, „ſi hoſtibus ipſam capientibus, & barbaris popu-„lanti-

„lantibus a periculo liberaſſes, quam eſt admira-„bile nunc peperciſſe. Illud enim ſæpe multi fe-„cerunt Reges, hoc autem tu ſolus operaberis, & „primus præter omnem expectationem. Et illud „quidem minime mirandum, nec præter opinionem, „ſed eſt quotidianum opus, ſubditis præeſſe: quod „autem tot, & talia paſſus iram deponas, hoc om-„nem naturam excedit humanam. Cogita nunc non „de civitate tantum illa tibi conſultandum eſt, ve-„rum & de gloria tua, imo vero de Chriſtianiſmo „toto. Nunc & Judæi, & Græci, & totus ter-„rarum orbis, & barbari (etenim & illi hæc au-„dierunt) ad te reſpiciunt, expectantes, ut vide-„ant qualem de geſtis ſententiam feras. Nempe „ſi humanam protuleris, & mitem, omnes decre-„tum laudabunt, & Deum glorificabunt, & inter „ſe dicent: Papæ! quanta chriſtianiſmi potentia. „Hominem, ſuper terram habentem æqualem ne-„minem, omnia delendi, & perdendi Dominum „cohibuit, & refrænavit, & docuit Philoſophiam, „quam nec homo privatus exhiberet. Vere magnus „Chriſtianorum Deus, qui ex hominibus angelos „facit, & omni neceſſitate naturali ſuperiores con-„ſtituit. Ne namque ſuperfluum illum timorem „timeas, nec toleres quosdam dicentes, reliquas „civitates pejores eſſe, & hac non punita imperium „tuum magis contempturas. Si enim ad ultionem „infirmus fuiſſes, & hæc operati te vi ſuperaſſent, „& par eſſet potentia, congruenter hæc ſuſpicari „oportebat. Si autem pavefacti, præque timore „præmortui ſunt, & ad tuos per me cucurrere pe-„des, nec aliud quotidie expectant, quam barath-„rum; & ſupplicationes faciunt, communes in cœ-„lum reſpicientes, & Deum venire ſupplicant, & „ſimul nobiſcum legationem obire; & ſicut in ex-„tremis conſtituti de rebus ſuis ſinguli conſulunt: „quomodo non ſuperfluus hic timor? ſi jugulari

„fuiſſent

„fuiſſent juſſi, tanta paſſi non fuiſſent, quanta pa-„tiuntur nunc, tot diebus in timore, & tremore „viventes, & ſuperveniente veſpere auroram videre „non expectantes, & die orto ad veſperam perve-„nire non ſperant: multi & in feras inciderunt, „dum ſectantur deſerta, in invia tranſlati, nec viri „tantum, verum & pueruli parvi, & mulieres li-„beræ, & decoræ per noctes, & dies in ſpeluncis, „& convallibus, & deſertis foraminibus latentes: „& novus captivitatis modus civitatem detinet, ædi-„ficiis, & muris ſtantibus, incenſis civitatibus gra-„viora patiuntur, nullo incumbente barbaro, nec „hoſte apparente captis miſerius affecti ſunt, & „vel folium ſi moveatur, omnes ipſos per ſingu-„los tenet dies. Hæc omnes ſciunt, & ſi ſubver-„ſam ipſam vidiſſent, non ſic eſſent caſtigati, ut „nunc, cum has ipſius audiere miſerias. Ne igi-„tur hæc cogites, pejores futuras eſſe civitates re-„liquas. Non enim ſi civitates alias evertiſſes, ſic „eas caſtigaſſes, ut nunc per incertam futurorum „expectationem omni ſupplicio vehementius ipſos „punis. Ne igitur ipſis ulterius calamitates produ-„cas, ſed jam reſpirare concedas. Subditos nem-„pe caſtigare, & geſtorum exigere pœnas facile „penitus, ac promptum: iis vero, qui contume-„lias intulerunt, parcere, & iis, qui venia indigna „patraverunt, veniam dare, unius & vix alterius „eſt, & maxime cum Imperator ſit contumeliam „paſſus. Et civitatem quidem metu ſubdere facile: „omnes autem ſui amantes conſtituere, iisque per-„ſuadere, ut in regnum tuum ſe benevole habeant, „& non tantum communes, verum & privatas pro „tuo preces imperio fundant, difficile: licet infini-„tas quis expendat pecunias, & innumeros exer-„citus moveat, & quidquid operetur, non facile „tot hominum affectum ad ſeipſum attrahere po-„terit, quod nunc tibi facile erit, & nullius ne-„gotii.

„gotii. Nam & beneficiis affecti, & qui audie„rint, pariter cum iis, qui beneficia acceperint, „erga te benevole afficientur. Quot pecuniis emiſ„ſes, quot emiſſes laboribus, brevi temporis mo„mento totum orbem aquirere, & omnibus futu„ris perſuadere, ut quanta filiis ſuis optant, tanta „& capiti tuo optarent. Si autem ab homini„bus hæc, cogita quantam a Deo capies merce„dem non tantum eorum, quæ nunc fiunt, verum „& quæ poſt hæc ab aliis peragentur. Si unquam „enim contingat fieri tale quid, quale nunc factum „eſt, quod Deus avertat, & injuriam paſſorum ali„qui in contumeliam operatos inſurgere velint, „benignitas & philoſophia tua pro omni ipſis erit „diſciplina, & admonitione: rubore pudoreque af„ficientur tale diſciplinæ exemplum habentes, in„feriores apparere. Itaque omnium poſterorum „eris præceptor, & palmam ipſis præcipies, licet „ad ipſum philoſophiæ verticem perveniant. Non „enim par eſt, quempiam tantam incipere benigni„tatem primum, & ad alios reſpicientem eorum „acta imitari. Quocirca quicunque poſt te huma„nitatem, & manſuetudinem quantamcunque ex„hibuerint, tu cum illis mercedem accipies. Qui „enim radicem præbuit, hic utique & fructuum au„ctor eſt. Propterea nunc quidem nemo tecum „humanitatis mercedem partiri poteſt; tuum enim „ſolius meritum eſt. Tu vero cum omnibus poſte„ris, ſi qui tales unquam appareant, ex æquo me„ritum dividere poteris, & tantam reportare par„tem, quantam in diſcipulis præceptores: & ſi „nemo talis fuerit, rurſum tibi commendationes, „& laudes per ſingulas proveniunt generationes. „Conſidera namque, quale ſit, poſteros omnes au„dire, quod tam magna civitate pœnæ, & ultio„ni obnoxia, pavefactis omnibus, & horrefactis du„cibus, præfectis, & judicibus, ac ne vocem qui-

„dem

„dem pro miſeris illis emittere audentibus, unus „accedens ſenex, ſacerdotium Dei gerens, ex ipſo „aſpectu ſolo, & colloquio ad reverentiam Impe„ratorem movit, & quod nemini ſuorum ſubdi„torum conceſſit, uni hoc ſeni conceſſit, Dei le„ges reveritus. Etenim hoc quoque ipſo non te „parum Imperator! civitas honoravit, quod me „ad te legatum miſerit; ſententiam enim de te „optimam, & pulcherrimam protulerunt, quod om„ni principatu tibi ſubjecto Dei Sacerdotes ante„ponas, etſi viles eſſe contingat. Non ab illis ve„ro tantum nunc venio, verum & ante illos a com„muni Angelorum Domino miſſus ſum, ut hæc „dicam mitiſſimæ, ac benigniſſimæ animæ tuæ; „quod ſi hominibus ipſorum debita dimittatis, & „pater cœleſtis lapſus vobis dimittet. Recordare „igitur illius diei, quo omnes de actis rationem „reddemus: cogita, quod etiam ſi quid in te pec„catum eſt, omnes abluere prævaricationes per ju„dicium, & ſententiam iſtam poteris absque labo„ribus, absque ſudoribus. Alii nempe legati au„rum, & argentum, & alia hujusmodi dona ferunt: „ego vero cum ſacris ad imperium tuum legibus „veni, & pro donis omnibus has prætendo, & „te Dominum tuum imitari ſupplico, qui quoti„die a nobis contumeliam patiens non ceſſat bona „ſua omnibus miniſtrare. Et ne confundas ſpem „noſtram, nec promiſſiones irritas facias: etenim „& hoc cum aliis te ſcire volo quod ſi reconciliari „velis, & priſtinam civitati benevolentiam com„municare, & hanc remittere juſtam indignatio„nem, cum multa revertar fiducia: ſi vero mente „tua civitatem aſperneris, non tantum ipſam non „repetam, nec ipſius ſolum videbo, verum & in „reliquum prorſus negabo, & in aliam me civita„tem conſcribam. Ne mihi namque accidat in il„lam unquam adſcribi patriam, erga quam huma-

„niſſi-

„niſſimus tu, & hominum cunctorum mitiſſimus, „pacari, reconciliarique non velis. „

Nolo illuſtrem per ſe orationem verbis proſequi, quod multi alii, & noviſſime Carolus Rollinus fecit: ipſe effectus conſecutus, in cœlum eam laudibus vehit. Illi enim, etſi rudi adhuc, & necdum a Chryſoſtomo expolitæ, victoria de tanto heroe relata, illi clariſſimæ urbis incolumitas, illi innumerabilium hominum ſalus in acceptis eſt referenda.

Legi etiam præ aliis meretur *homilia de ſimultate & ira,* quæ nunc eſt *XX. ad pop.* item *orationis* 170. Nazianzeni *pars* 2. ad *Præfectum iraſcentem.*

CAPUT XI.

Specimina Invidiæ ac Æmulationis, *quæ &* Zelus *dicitur.*

Dolorem, qui ex alterius bono in nobis exiſtit, præciſe, quod illi obtigerit, *invidiam*, quod vero nobis non obtigerit, *æmulationem* voco. Nulla erat cauſa, cur Patres invidiam aliquando excitarent, quam potius modis omnibus ſupprimere debuerunt. Contra æmulationem, illam ſaltem, quæ bonum alienum non quomodocunque ſuum cupit, ſed imitatione duntaxat, vel alia honeſta ratione participare vult, frequenter admodum illi uſurpaverunt. Atque, ut de invidia primo dicam (quam *acerrimum motum* appellat Cicero, & in qua comprimenda non minus virium putat opus, quam in excitanda *) compeſcunt eam Patres oſtendendo malignos ejus *natales*, *cæcitatem*, *injuſtitiam*, *malitiam diabolicæ æmulam*, *cæleſtibus decretis rebellem*, & *ſce-*

* *Libro II. de oratore num.* 209.

& *ſcelerum omnium capacem*, *abjectionem ſummam*, *indolem ingenuis omnibus exoſam*, denique *nemini magis, quam ſibi moleſtam, & exitialem*. Contra æmulationem provocant propoſita *honeſtate*, *pari* vel *majori* etiam *obligatione*, *facilitate*, *voluptate*, *neceſſitate rei ſuſcipiendæ*. Imo ipſimet ſæpe dolent deeſſe ſibi, quod in aliis mirantur, optantes ſibi eandem *facundiam*, *idem otium*, *vires*, *auctoritatem*, *abſentiam a tumultu*, & *fluctibus ſæculi* contingere. Quod ſi apparens tantum, atque imaginarium eſt bonum, quod æmulari te vident, iisdem rationibus curant morbum, eodem modo æmulationem comprimunt, quibus ſupra, cum de invidia ſermo fuit, dicebamus.

Specimen præſtans, quo invidia penitus ex hominum animis eliminari poſſit, ex Chryſoſtomo habemus. Sic autem ille *hom.* 7. *in ad Romanos* vitium iſtuc adoritur.

„Quænam erit hujus morbi medela! conjunctim „omnes precemur, unamque pro illis emittamus „vocem, quaſi pro energumenis. Nam hi miſerabilius affecti ſunt, quam illi *: quia furor ille ex „propoſito manat. Precatione quippe opus ha„bet hic morbus, & multa ſupplicatione. Nam „ſi is, qui fratrem non amat, ſi pecunias peſſundat, „ſi martyrio illuſtretur, nihil magis proficit: qui „bellum infert ei, qui nihil ſibi mali intulit, co„gita, quanto ſit ſupplicio dignus. Hic gentili„bus deterior eſt. Nam ſi cum nos amantes di„ligimus, nihil plus habemus, quam illi: qui „amantibus ſe invidet, quo quæſo in loco erit? „Bello namque perniciosſior eſt invidia. Nam qui „bellum gerit, cauſa belli ſublata, inimicitiam de„ponit: invidus autem nunquam poſſit amicus eſſe.

Ille

* Reſpicit morem temporis ejus, quo publicæ preces pro energumenis fiebant.

„Ille quidem manifeſto bello impetit; hic occulto: „Ille cauſas multas, & probabiles ſuſcepti belli proferre poteſt: hic non niſi furorem, & ſatanicam „voluntatem. Cui ergo talem animam comparaveris? cui viperæ? cui aſpidi? cui vermi? cui „cantharo? Nihil enim ſceleſtius, nihil deterius „hujusmodi anima. Hoc enim, hoc inquam ec„cleſias ſubvertit, hoc hæreſes peperit, hoc frater„nam armavit manum, & effecit, ut in ſanguine „juſti dextera mergeretur; legesque naturæ peſſum „dedit, & morti portas aperuit, ac maledictionem „illam ad opus deduxit, nec permiſit, ut infelix „ille recordaretur partus ſui, neque parentum, ne„que alterius cujusquam, & tanto furoris, inſa„niæque æſtu movit, ut hortante Deo, ac dicen„te: Ad te erit appetitus ejus, & tu dominaberis „illius, ne ſic quidem cederet. Atqui & crimen „illi remiſit, & fratrem ipſi ſubjecit. Verum ita „inſanabilis eſt hic morbus, ut etiam mille adhi„bitis pharmacis, ſaniem ſemper emittat. Cur enim „doles, o omnium miſerrime? quod honoratus ſit „Deus? at hoc eſt animi ſatanici. An quod fra„ter admodum acceptus fuerit? Sed licet tibi eum „ſuperare. Itaque ſi vincere velis, ne occidas, ne „de medio tollas, ſed ſine manere, ut certaminis „occaſio ſervetur, & viventem ſupera. Sic enim „ſplendida tibi corona futura eſt. Nunc autem ſi „occidas, majorem contra te calculum feres, quam „ſi victus eſſes. At nihil horum invidia novit. Cur „autem gloriam amas in tanta ſolitudine? ipſi nam„que ſoli tunc terram habitabant. At nihil horum „ipſum cohibuit, ſed omnibus ex animo rejectis „cum diabolo ſtetit, & aciem inſtruxit; nam ille „tunc dux erat cum Caino. Quia enim non ſuf„ficiebat illi, quod homo mortalis eſſet effectus, „ex mortis etiam modo majorem tragœdiam effi„cere tentabat, & perſuaſit illi, ut fratrem occide-

 ret.

„ret. Feſtinabat enim, & deſiderabat videre ſen-„tentiam in opus deductam, qui nunquam noſtris „ſatiatur malis: ac ſi quis inimicum vinctum ha-„bens, & ſententia damnatum ad mortem videns, „antequam ex urbe exeat, feſtinet, ut illum intus „mortuum videat, nec congruens tempus expectet. „Sic & diabolus tunc. Etſi audiſſet hominem in „pulverem eſſe reverſurum, cupiebat aliquid am-„plius videre; filium nempe ante patrem morien-„tem, & fratrem occidentem fratrem ſuum, im-„maturam item, & violentam mortem. Viden ad „quantas res inſervierit invidia? quomodo inſatia-„bilem diaboli animum impleverit, tantamque illi „menſam appoſuerit, quantam ille videre cupie-„bat? Fugiamus ergo hunc morbum. Non poſſu-„mus enim, non poſſumus utique ignem illum „effugere, paratum diabolo, niſi ab hac ægritudi-„ne liberemur. Liberabimur autem, ſi cogitemus, „quantum Chriſtus nos amaverit, qui præcepit, ut „nos invicem diligeremus. Quo igitur modo nos „amavit? pretioſum ſanguinem ſuum dedit pro no-„bis inimicis, qui ipſi ingentes intuleramus injurias. „Ita & tu facito erga fratrem tuum. Ideo dicit „ille: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invi-„cem, ſicut dilexi vos.* Imo vero non in his ille ter-„minis conſiſtit: ipſe namque pro inimicis hoc fe-„cit. Sed non vis ſanguinem tuum dare pro fra-„tre: cur ergo etiam ejus ſanguinem effundis, præ-„ceptum ex diametro violans? „

Multa jam ante hunc locum contra eam peſtem declamaverat S. Doctor; verum ne eſſemus longiores, & non nulla repetere cogeremur, ſatius utique duximus, ſi de ceteris mentionem feciſſe contenti, non niſi iſta huc tranſcriberemus. Quod ideo faciendum fuit, ne quis prætermiſſa ea putans, quæ dilata ſunt, inopiam queratur, & negligentiæ nos poſtulet. Occurrent enim in

Locis

Locis communibus plura; ibique peculiarem de illa tractationem inſtituemus. Sufficit hic illud admonuiſſe, præcipuos quosque, & eloquentiſſimos Patres contra invidiam ſumma contentione. & omnibus eloquentiæ viribus paſſim inſurrexiſſe, ſanctum Cyprianum, ſanctum Baſilium, ſanctum Chryſoſtomum, ſanctum Chryſologum, & alios nonnullos.

Æmulationis ciendæ innumera habemus exempla, ſi vel ſolum omiſſis ceteris Chryſoſtomum legamus. Quoties enim ille exemplo Davidis ad veniam, Joſephi ad caſtitatem, Jobi, & Lazari ad patientiam, Pauli ad zelum, atque alias virtutes non tam hortatur, quam impellit auditorem? eadem de cauſa anachoretas ſæpenumero, & Monachos ille commemorat, ſed & ſanctimonialium, deliciis ante omnibus innutritarum, & illuſtri loco natarum auſteritate provocat ad aliquam ſaltem, vel minimam ſibi vim inferendam. Lege *homil.* 13. *in ad Epheſios.* Centenis contra locis, & quoties ſe occaſio offerebat, dehortatur populum, ne magni facerent, vel mirarentur equos, famulitia, & ceteram pompam magnatum vel divitum, ſed potius ſanctorum virtutes. & quæ in cœlis repoſita eſſent præmia æmulanda ſibi putarent.

S Bernardus. exemplo Clementis Papæ & Martyris, ita ſuos ad affligendam carnem cohortatur *ſerm. de eodem.*

„Quid nos ad hæc dicimus fratres? congratu„lamur martyri, ſed jam gloria ejus non ſine no„ſtra confuſione eſt. Ecce enim beatus Clemens „homo erat ſimilis nobis, paſſibilis eadem circum„datus infirmitate, & carni ſuæ eodem vinculo na„turalis affectionis inhærens. Si ergo ille ſic glo„rificavit Chriſtum in corpore ſuo, & calicem ſalu„taris accepit: quid nos retribuimus Domino pro „omnibus, quæ retribuit nobis? eadem certe in-

„ſignivit imagine, eodem ſanguine nos redemit, „& vocavit in eandem hæreditatem incorruptibi„lem, & incontaminatam æternam conſervatam „in cœlis. Ut quid ergo non poſſumus & nos „cum beato Clemente Chriſti bibere calicem? ſed „forte reſpondent aliqui, poſſemus, ſi opportuni„tas non deeſſet. Sed perſecutionis tempus ceſ„ſavit. At ego, fateor, non ſatis crediderim iſta „dicentibus. Quid enim? quotidie ceditis pun„ctioni acus unius, & mucroni vos arbitramini „poſſe reſiſtere? in minimis probate conflictibus, „quam viriliter in majori certamine ſtare poſſitis. „Ecce enim vobis non dicitur: ſacrificate idolis, & „vivite: aut ſi hoc non vultis, oportet vos diver„ſis ſuppliciis interire. Novit Dominus figmentum „noſtrum, nec dat nobis tam forte certamen. Beato „Clementi certamen forte dedit, ut vinceret, & „diſceret, quoniam omnium potentior eſt ſapien„tia. Veſtrum autem certamen quale eſt fratres „mei? quotidie vobis ſuggeritur in cordibus ve„ſtris, frange ordinem tuum, murmura, detrahe, „age remiſſius, infirmitatem ſimula, reſponde ei, „qui forte durius locutus eſt, ut ſatisfacias deſide„rio tuo: nec dicitur cuiquam: niſi hæc feceris „morieris, ſed ut multum, cum difficultate, & la„bore reſiſtes animo tuo. Et: quis ſuſtineret tan„ta? hæc enim intus audire, hæc reſpondere con„ſuevimus exhortantibus nos aut foris homini, „aut intus ſpiritui ſancto. Si ergo in hujusmodi „certamine periclitamur, ſi vix reſiſtimus, ſi inter„dum etiam ſuccumbimus, quid in illo tam gravi „certamine faceremus? ſi juncis fragilibus cedit „infirmitas noſtra, quomodo telis reſiſteret? videtis „quomodo ad nihilum redacti ſumus, & ſicut ſo„lent mulieres, aut parvuli pugnantes, laudamus „alios, pugnare ipſi non poſſumus.„

S. Grego-

S. Gregorius Magnus *homilia* 11. *in Evangelia*, quam in æde divæ Agnetis, die natali ejus dixit, ita loquitur.

„Nec enim ſancta hæc, cujus hodie natalitia „celebramus, mori pro Domino potuiſſet in cor„pore, ſi prius a terrenis deſideriis mortua non „fuiſſet in mente. Erectus namque in virtutis cul„mine animus tormenta deſpexit, præmia calca„vit. Ante armatos Reges, & Præſides invicta ſte„tit, feriente robuſtior, judicante ſublimior *. „Quid inter hæc nos barbati, & debiles dicimus, „qui ire ad regna cœleſtia puellas per ferrum vide„mus. Quos ira ſuperat, ſuperbia inflat, ambitio „perturbat, luxuria inquinat! qui ſi adipiſci regna „cœlorum per bella perſecutionum non poſſumus, „hoc ipſum nobis turpe ſit, quod Deum nolumus „ſaltem per pacem ſequi. Ecce nulli noſtrum hoc „tempore dicit Deus: Pro me morere, ſed: illi„cita tantummodo in te deſideria occide. Qui „ergo in pace ſubigere carnis deſideria nolumus, „quando in bello pro Domino ipſam carnem da„remus?„

Atque iſtud genus æmulationis haud parum de ſequenti affectu admiſtum habet.

CAPUT XII.

Specimina Pudoris & Verecundiæ.

Hunc affectum, qui objectatione abſurdorum elicitur, Patres, ad vitia quædam turpiora, uti *impuritatem*, *hypocriſin*, *ingratitudinem*, *crudelitatem invidiam* &c. caſtiganda præclare profecto adhibuerunt: nec minus egregie illum dempſerunt, quando

* Grandis cogitatio; quæ eo reſpicit, quod judices plerumque, & Principes ſublimes ſedere ſolent, rei vero ad pedes tribunalis conſiſtere.

quando contra *dictamina & mores mundi*, contra *reticentiam in ſacro tribunali* &c. ſuos communitum ibant. Magna enim in utramque partem hujus affectionis poteſtas eſt, uti egregie Hieronymus *epiſt.* 26. *nunc* 66. *ad Pammachium* oſtendit, imo ipſe *Eccleſiaſticus* 4. *Eſt confuſio adducens peccatum*, & *eſt confuſio adducens gloriam*, & *gratiam*. Ne vero quando in ruborem dare volunt, argumenta præcipua, atque fortiſſima expectes. Pudor enim hunc delectum haud facit; ſed quia turpitudinem præcipue oſtendit, & ab abſurdo ducitur, argumenta ad hominem, res item ſub ſenſum cadentes, & ſermonibus obnoxias deſiderat. Sic enim velut ab infirmis ad ſuprema aſcenditur, atque ex humanis facilius divina noſcuntur. Id quod Ambroſius *de lapſu Virg. conſecr. cap.* 3. ſapienter admonuit. Talia ſunt *ignavia*, *abjectio animi*, *mutatio* & *inconſtantia*, *ſtupiditas*, *ſordes*, *comparatio cum aliis*, *ſenſa prudentum ac patronorum*, *inſultatio hoſtium*, & ejusmodi.

Quantum vero ad fugam peccati conducere Pudorem illi exiſtimarent, & quam potens frænum in eo agnoſcerent, inſigni loco Nyſſenus *hom.* 3. *in Eccleſiaſten*, *initio*, diſerte oſtendit. Cavent autem ſummopere, ne quacumque ratione plures ejusdem criminis reos dicant; quod qui ſocios habere ſe audit, multo minus erubeſcat.

Cum vero pudorem eximere Patres volunt, varia rurſum, nec minus accommodata expromunt, *exemplum nempe minorum & debiliorum*, *cæcitatem mortalium*, *voluntatem & præceptum Dei*; *præmium majoris gloriæ*, *pœnam majoris ignaviæ* &c. Sed exempla ipſa audiamus.

S. Chryſoſtomus *Ecloga* 24. contracta ex ſermone in *Mulier alligata eſt legi.*

„Ne igitur ignominia vitam noſtram afficiamus, „ne vitam vivamus deriſione dignam, neque contami-

„taminemus corpus noſtrum fornicatione. Quo„modo enim in Eccleſiam ingredi poteris, poſtquam cum ſcortis es converſatus? quomodo ma„nus illas ad cœlum extendere, quibus meretricem „comprehendiſti? quomodo movere linguam, & „eo ore preces fundere, quo ſcortum deoſculatus „es? quibus oculis honeſtiores amicos ad hoc re„ſpicientes intueberis? & quid dico de amicis? „etiamſi enim nemo hujus rei conſcius exiſtat, tu „tamen præ omnibus te ipſum erubeſcere, & re„vereri cogeris, & proprium corpus plus omni„bus execrari. Niſi enim hoc ita ſit, cujus cauſa „poſt peccatum illud ad balneum curris? nonne „quia te ipſum quovis cœno immundiorem arbi„traris? Quam igitur Deum ſententiam laturum „exiſtimas, quando tu prævaricatus ejusmodi de „factis tuis opinionem habes? Siquidem igitur cor„porale quid ſordes illæ eſſent, merito balnearum „expurgationibus teipſum abſtergeres: quoniam „vero animam defædans, immundam totam reddi„diſti, ejusmodi jam quæras purgationem, quæ il„lius extergere maculam poſſit. Quod niſi facia„mus, licet omnes fluviorum percurramus fontes, „nec exiguam tamen peccati ſubducere partem „valebimus.„

Maximum quoque pudorem incutiunt, quæ Salvianus ad calcem *Libri* 7. *de Gubernatione* in infames ætatis ſuæ libidines intorquet.

„Omnes denique civitates ait, numquid non „luſtris plenæ ſunt, ac lupanaribus fœtent? Et „quid dixi omnes? certe nobiliſſimæ quæque, ac „ſublimiſſimæ. Adeo dignitas, atque etiam præ„rogativa eſt hæc honorum in magnis urbibus, ut „quantum præcellunt ceteris magnitudine, tantum „præſtent impuritate. Et quæ eſſe, rogo, Ro„mano ſtatui ſpes poteſt, quando caſtiores, ac „puriores Barbari, quam Romani ſunt? parum

„eſt, quod dicimus: quæ, nobis rogo, ante Deum „aut vitæ eſſe, aut veniæ ſpes poteſt, quando ca„ſtitatem in barbaris cernimus, & nec ſic caſti „ſumus? Erubeſcamus quæſo, & confundamur. „Jam apud Gothos impudici non ſunt, niſi Ro„mani, jam apud Wandalos nec Romani. Tan„tum apud illos profecit ſtudium caſtimoniæ, tan„tum ſeveritas diſciplinæ; non ſolum quod ipſi „caſti ſint, ſed ut rem dicamus novam, rem in„credibilem, rem pæne etiam inauditam, caſtos „etiam Romanos eſſe fecerunt. Si infirmitas id „humana pateretur, exclamare ſuper vires meas „cuperem, ut toto orbe reſonarem: Pudeat vos „Romani ubique populi! pudeat vos vitæ veſtræ! „nullæ pœne urbes luſtris, nullæ omnino impu„ritatibus vacant, niſi illæ tantum, in quibus bar„bari eſſe cœperunt. Et miramur, ſi miſeri, qui „tam impuri ſumus? miramur, ſi ab hoſte viribus „vincimur, qui honeſtate ſuperamur? miramur ſi „bona noſtra poſſident, qui mala noſtra execran„tur? Nec illos naturale robur corporum facit „vincere, nec nos naturæ infirmitas vinci. Nemo „ſibi aliud perſuadeat, nemo aliud arbitretur, ſola „nos morum noſtrorum vitia vicerunt.„

Iſta breviora, neque magnopere amplificata. At qui illa Ambroſii *ad Virginem lapſam* placent?

„Aſpice, quis Sanctorum, aut quæ ſanctarum „tibi approximare non horreat? aperi, oculos tuos, „ſi potes, erige frontem, ſi audes, aliquem ſan„ctorum fiducialiter intuere! nonne tuam faciem „conſcientia commiſſi tanquam plumbum inclinat, „& premit? nonne tenebræ aute oculos tuos & „dira caligo verſabitur? nonne timor, & tremor „animam tuam, & membra quaſſabit? Si ergo ho„mines in carne conſtitutos, & alicujus delicti ob„noxios non potes intueri tam gravi confuſione „ſepulta: quid facies coram caſtis Apoſtolis? quid „facies

„facies coram Elia, Daniele, & tantorum exerci-„tu Prophetarum? quid facies coram Joanne? quid „facies coram Maria, Thecla, & Agne, & imma-„culato choro puritatis? quid denique coram An-„gelis ſanctis? nonne ſplendore, & claritate ima-„culatorum quaſi fulminibus percuſſa combureris?„ *Et infra.* „Non iſtam de te confuſionem tuus „expectaverat pater, qui te ſibi ſingularem gloriam „computabat. Non hunc luctum, & has lacrimas „ex te ſibi naſcitura crediderat mater, quæ partus „ſui gemitum per tuam virginitatem conſolabatur. „Non fratres tui, non ſorores hoc ex te dedecus „expectabant; quos omnes quaſi uno gladio tui „ſceleris graviter ſauciaſti. Si fuiſſes communi „ſorte defuncta, deflevissent te modicum propter „deſiderium parentes, ſed exultaſſent granditer, „quia immaculatam præmiſiſſent virginem, hoſtiam „vivam Domrno, propitiatricem videlicet delicto-„rum: at nunc plangunt mortuam: & non mor-„tuam: lugent vivam, & non vivam; mortuam „utique gloria virginitatis, vivam dedecore turpi-„tudinis. Iratus eſt pater ſuis viſceribus, de qui-„bus ſeminata es, maledicit ſuo utero mater, ex „quo in hanc lucem infeliciter proceſſiſti; nec ta-„men modum ſui doloris reperiunt, niſi hoc ſo-„lum plane videtur habere ſolatium, quia te nec „pater compulit, nec mater coëgit, ut virginita-„tem profitereris, quam ultro, & propria volun-„tate profeſſa es &c. Quibus te ſpiris ſerpens ille „nequiſſimus obligavit? quibus te venenis infecit „ille, qui Evam decep.t, ut tanta te cæcitate per-„cuteret, tantam animæ tuæ faceret oblivionem? „Non es memorata diei ſanctæ, domininicæ Reſur-„rectionis, in qua divino altari te obtuliſti velan-„dam? In tanto, tamque ſolenni conventu Eccle-„ſiæ Dei, inter lumina neophytorum ſplendida, „inter candidatos regni cœleſtis quaſi Regi nup-

„tura

„tura proceſſeras? non es memorata, qualis ad te „die illo facta eſt allocutio? *Aſpice filia, intuere „virgo, & obliviſcere populum tuum, & domum pa„tris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum; quia ip„ſe eſt Dominus Deus tuus.* Reminiſcere ergo, quan„tus ad ſponſi tui, & Domini nuptias convenerit „populus. Servare te oportuit fidem, quod ſub „tantis teſtibus pollicita es, ſemper cogitare, cui „virginitatem ſpoponderis. Facilius te oportuit „ſanguinem cum ſpiritu fundere, quam perdere „caſtitatem tuam. His tunc in illo die conſecra„tionis tuæ dictis, & multis ſuper caſtitate tua „præconiis ſacro velamine tecta es, omnis popu„lus dotem tuam ſubſcribens non atramento, ſed „ſpiritu pariter clamavit: *amen.* Vincor lacrimis, „cum hæc recordor, compungor ſtimulis, cum „hæc humana exempla conſidero. Nam ſi inter „decem teſtes confectis ſponſaliis, nuptiis conſum„matis quævis fœmina viro conjuncta mortali, non „ſine magno periculo perpetrat adulterium; quid „quando inter innumerabiles teſtes Eccleſiæ, coram „Angelis, & exercitibus cœli facta copula ſpiritalis „per adulterium ſolvitur? neſcio an poſſit ei con„digna mors, aut pœna cogitari. *Et ſeq. cap.* „Quomodo tibi in actu illo ignominioſo non veni„ebat in mentem habitus virginalis, proceſſus in „Eccleſiam inter virgineos choros? quomodo ocu„los tuos non perſtringebat lux vigiliarum, aures „tuas non penetrabat hymnorum ſpiritualium can„tus, mentem tuam non ventilabat lectionum cœ„leſtium virtus, hinc vel maxime ad te clamante „Apoſtolo: *Fugite fornicationem; quia omne pecca„tum, quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt, qui „autem fornicatur, in corpus ſuum peccat?* Et cum „dicit *in corpus ſuum,* tamen in Chriſtum eum pec„care demonſtrat. Nam ſubjungit: *an neſcitis quo„niam membra veſtra templum eſt ſpiritus ſancti; quæ „habetis*

„*habetis a Domino*, *& non eſtis veſtri; empti enim* „*eſtis pretio magno. Glorificate*, *& portate Deum* „*in corpore veſtro* &c. Hæc tanta, & tam terri-„bilia non tibi veniebant in mentem, cum ad il-„lud opus nefarium tua membra peterentur, ſed „mortifera te oblivio tanquam in gurgitem altiſſi-„mum demergebat, & quaſi captivam execrabilis „libido ducebat. Nonne vel illum locum tabu-„lis ſeparatum, in quo in Eccleſia ſtabas, recordari „debuiſti, ad quem religioſæ matronæ, & nobiles „certatim currebant, tua oſcula petentes, quæ ſan-„ctiores, & digniores te erant? nonne vel illa „præcepta, quæ oculis tuis ipſe ſcriptus paries in-„gerebat, recordari debuiſti: *Diviſa eſt mulier*, *&* „*virgo. Quæ non eſt nupta*, *cogitat quæ Domini* „*ſunt, quomodo ſit ſancta corpore*, *& ſpiritu?* Tu „autem in contrarium vertiſti dictum, ita cogi-„tans, ita agens, ut nec corpore eſſes ſancta, nec „ſpiritu; corpore quidem fornicando: ſpiritu au-„tem virginitatem mentiendo. Pro nefas! ſolet „fama ſubſequi factum: tua autem malum fama „prævenit. Nam cum ante triennium rumor qui-„dam, & ſuſurratio de te fuiſſet, tu ſinceritatem „prætendebas, & vindictam de maledicis in Eccle-„ſia poſtulabas publice. Quos æſtus ego ſuſtinui? „quos pater tuus pro tua ſuſtinuit opinione labo-„res, requirentes ſingulos, ſingulos adſtringentes, „ut ad auctorem infamiæ veniremus? grave enim „erat nobis, & omnibus bonis intolerabile de Dei „virgine vel turpe aliquid dici vel credi. Nec hoc „verita es, nec ante oculos habuiſti, ne venires „inimicis tuis in gaudium, & eos haberes infenſos, „qui pro tua opinione laborabant. Multum au-„dax, multum temeraria, ut te conſcientia tua „non terreret, ſed ſimulata virginitate putares te „etiam Deum poſſe decipere. Sed ille qui dixit: „*nihil occultum*, *quod non revelabitur;* Et: *vos*, in-„quit,

„quit, *feciſtis in occulto*, *ego autem in manifeſto faciam*: ille qui non mentitur, furtivum ſcelus de-„duxit in publicum, & in conſpectu ſolis hujus „tenebrarum veſtrarum opera denudavit. O quid-„quid prætendit ſermo, crudeliora occurrunt, & „cupiens moderari, non invenit modum. Oblita „ergo propoſitum, oblita parentes, oblita es Eccle-„ſiam totam, oblita gloriam virginitatis, oblita ho-„norem dignitatis, etiam oblita promiſſionem regni, „oblita judicium terribile: amplexa es corruptio-„nem, protuliſi fructum confuſionis, finem vero „mortem ſæviſſimam, & interitum ſempiternum, „

Eadem ratione etiam Sabinianum Diaconum pudore Hieronymus ſuffundit *epiſt.* ad eum data, quæ nunc ordine 147. eſt, *alias* 48. ſubtilius vero, atque tenterius pudorem excitat Chryſoſtomus *hom.* 16. *in* 1. *ad Timotheum*, ubi ſuaviſſimo & admirabili loco Dominis ob oculos ponit, quam multum exigant a ſervis ſuis, & quam parum contra Deo, Domino ſuo, ipſi oræſtant. Expertus ſum ſæpius, legi eum ſine motu vix poſſe.

Verecundiam quomodo Patres adimant, tum pluribus oſtendam, ubi de confuſione ſermo erit. Interea ſatis ſit Salvianum allegaſſe, qui *Libr.* 3. *ad Eccleſiam Catholicam*, *in fine*, ita inanem metum ingratitudinis erga propinquos moribundis, teſtamentum ſcribentibus, eximit.

„Sed videlicet cauſa grandis eſt, qua Deum „audire non poſſis. Circumſtant enim te ægro-„tantem cognati, atque agnati tui, circumſtant „locupletes matres familiæ, circumſtant nobiles vi-„ri, obſidet lectum infirmitatis tuæ ſericis, atque „auratis veſtibus circumfuſa numeroſitas. O quan-„tus fructus æternitatis eſt, talibus bona propria „erogare mendicis! digna videlicet cauſa, & ſatis „juſta eſt, ut tu animæ tuæ auferas, quod egenis ta-„libus derelinquas. Sed nimirum miſericordia fran-„geris,

„geris, & lamentantium propinquorum pietate ſu-„peraris. Eſt certe ratio. Vides, quippe opulentiſ-„ſimi, ac ſplendidiſſimi cultus homines, tibi anxios, „tibi flentes, triſti vultu, & feſto habitu, compo-„ſitas ad mœſtitudinem facies tibi oſtentantes, per „imaginariam ſolicitudinem ſuam emendicantes hæ-„reditatem tuam. Quem non moveat tanta pietas? „quem non moveat tantus dolor! aut quomodo, „cum hæc talia videas, non oblivifcaris tui? Vi-„des enim extortas lacrimas, ſimulata ſuſpiria, fi-„ctam anxietatem; non optantem, ut convaleſcas, „ſed expectantem, quando moriaris, Vides defi-„xos in te, quaſi accuſantes tui obitus tarditatem, „omnium vultus. O infelicem te, ac miſerrimum, „cujus ſupremum exitum tantus deſiderat numerus „propinquorum! niſi quod ſcio, ac ſatis certus ſum „nihil omnino apud Deum vota talium prævalere. „Nam mirari poſſem forte, quod viveres, quem „mori tam multi velint. Et propter hos, quisquis „ille es, propter hos tales animam tuam deſeris, „& credere te judicium Dei dicis, cum ad hoc „ejus juſſa deſpicias, ut patrimonium tuum tali-„bus derelinquas? Diſperſit, inquit Propheta de „eo, qui Deum credit, diſperſit, dedit pauperi-„bus, juſtitia ejus manet in æternum. Sed & ſal-„vator ipſe ad omnes divites: Vendite, inquit quæ „poſſidetis, & date eleemoſynam. Et alibi: Ven-„de, quæ habes, & da pauperibus. Numquid di-„cit, agnatis da, numquid affinibus? Non utique; „ſed pauperibus, ſed egenis. Numquid propinquo „diviti, numquid ulli omnino homini præpotenti? „non utique, ſed egenti, ſed egeſtuoſo. Et recte. „Numquid enim, cum locupletibus cognatis tuis „ſubſtantiam tuam dederis, juſtitia tua manet in „æternum? aut cum divitias eorum divitiis tuis „auxeris, theſaurum habebis in cœlo? Væ inquit „Propheta, his, qui dicunt dulce amarum, & ama-

„rum

„rum dulce. Etiam laudari a te tales hos Deus „prohibet, & tu ditare non metuis? dari his præ„dicatoria verba non vult, & tu etiam talenta lar„giris? honorari vitam eorum fictis ſermonibus ve„tat, & a te theſauri eorum, divitiæque cumulan„tur? Sed vereris videlicet vultus circumſidentium „propinquorum, & præſentes, atque obſidentes „lectulum tuum metuis offendere? Ne metueris eos, „inquit Dominus per Prophetam, ne paveas a fa„cie eorum, quoniam domus exaſperans eſt. Et „ideo tu etiam eſto intrepidus, & conſtans. Non „formides vultus eorum, neque frangaris ambitu „eorum. Deſpice concupiſcentes hæreditatem tuam, „& dividentes jam inter ſe ſubſtantiam tuam, qui „non te, ſed patrimonium tuum diligunt; imo „qui cupiditate rerum tuarum te execrantur. Nam „dum tua impatienter ſitiunt, te oderunt, præſen„tiamque tuam quaſi æmulam ſibi, & adverſariam „judicantes, obicem, atque obſtaculum putant cu„piditatis ſuæ eſſe, quod vivis. Deſpice ergo hos „tales, ac nihili facito. Non te moveant blandi„menta eorum; venena tibi ſunt. Non reſpicias „adulationes eorum; gladii ſunt jugulatores tui, „& quidem ferreis, atque hoſtilibus gladiis tetrio„res. Illos enim homines cuncti vident, iſtos in„cauti non vident. Illi. quia aperte ſæviunt, evi„tantur; iſti, quia occulte inſidiantur, occidunt: „& hoc periculoſiores ſunt, ac novo nocendi ge„nere pejores, quod illis ferreis gladiis nemo eſt „penitus, qui ſe lædi velit; iſtis multi ſe etiam oc„cidi volunt. Nova, atque inæſtimabilis mali „lethalis illecebra: illis gladiis quicunque percuti„tur, & timore pariter, & dolore torquetur; iſtis „quicunque occiditur, delectatur. Fuge ergo hoc „malum, fuge aſſentationes inſidiantes tibi, fuge „obſequelas noxias tibi, fuge ambitus deceptores „tuos. Iſta ſunt officia, quæ te jugulant, iſta ſunt,

„quæ

„quæ in mortem trahunt. Fuge ergo talium blan„dimenta, fuge eorum ſedulitatem; iſti ſunt car„nifices, ac tortores tui, qui te in præſenti qui„dem ambiunt, ſed in futuro necant, & conſer„tis quodammodo manibus, ac velut conjurata mu„tuo factione in ſempiternos tartari ignes cogere, „ac præcipitare conantur. Et ideo non timeas „eos, non expaveſcas; erige animum & vim ſan„ctæ auctoritatis aſſume. Si enim illi tantopere an„nituntur, ut pereas; cur non majore tu animo „annitaris, ut vivas? confortare ergo, & conſtanti „animo tibi conſule. Satis infelix, ac ſatis ſtul„tus eſt, qui mavult præſtare aliis, ut ſit miſer, „quam ſibi, ut ſit beatus; & ut alios affluere fa„ciat deliciis temporariis, ſe tradit urendum igni„bus ſempiternis.„

CAPUT XIII.

Specimina Spei & Fiduciæ.

Hujus quoque affectus tractandi peritiſſimos ſe Patrum ſane quam plurimi oſtenderunt. Auferendo ſcilicet, quæcunque dejicerent animos, *exempla*, & *experientiam* in ſubſidium vocando, explicando *promiſſa* & *miſerationes* Dei, *vires* atque *auxilia gratiæ*, *imbecillitatem hoſtis*, *media copioſa*, & *induſtrias correctionis*, *pignora* denique promiſſis multo majora, *voluntatem Dei* a nullo magis malo, quam deſperatione alieni exaggerando. Aliqui item ingentem fiduciam excitant ab *amore erga Deiparam*, *venia inimicis* data, *eleemoſynis*, *communione Dominicæ paſſionis* &c.

Dein eundem affectum, ne in audaciam, vel præſumptionem degeneret, corrigunt, & temperant variis modis, ut ſupra de audacia dictum eſt, & infra de timore pluribus etiam dicetur; idque

non ſolum, quando in creaturas, ſed & in ipſum Deum tendit.

En exemplum ex S. Auguſtino, qui in *Expoſit. Pſalmi* 149. loquens de Sanctis in cœlo, ita mirabili dexteritate ſpem beatitudinis exſuſcitat:

„O Beati! putamus erimus nos ſic? eia ſuſpi„remus, de ſuſpirio gemamus. Et quid ſumus, „ut ibi ſimus? mortales, projecti, abjecti, terra, „& cinis. Sed qui promiſit, omnipotens eſt. Si „ad nos attendamus, quid ſumus? ſi ad illum, „Deus eſt, omnipotens eſt. Non eſt facturus an„gelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? „aut vero pro minimo habet Deus hominem, pro„pter quem mori voluit unicum ſuum? Attenda„mus ad indicium dilectionis, & promiſſionis Dei! „tales arrhas accepimus: tenemus mortem Chriſti: „tenemus ſanguinem Chriſti. Quis mortuus eſt? „unicus. Pro quibus mortuus eſt? utinam pro bo„nis, utinam pro juſtis! ſed quid? *etenim Chriſtus*, „ait Apoſtolus *pro impiis mortuus eſt*. Qui dona„vit impiis mortem ſuam, quid ſervat juſtis niſi vi„tam ſuam? Erigat ergo ſe humana fragilitas, non „deſperet, non ſe collidat, non ſe avertat, non „dicat: non ero. Qui promiſit, Deus eſt, & ve„nit, ut promitteret. Apparuit hominibus, venit „ſuſcipere mortem noſtram, promittere vitam ſuam. „Venit ad regionem peregrinationis noſtræ acci„pere quod hic abundat, opprobria, flagella, co„laphos, ſputa in faciem, contumelias, ſpineam „coronam, ſuſpenſionem in ligno, crucem, mor„tem. Hæc abundant in regione noſtra, ad ta„lia commercia venit. Quid hic dedit? quid hic „accepit? dedit exhortationem, dedit doctrinam, „dedit remiſſionem peccatorum: accepit contume„lias, mortem, crucem. Attulit nobis de illa re„gione bona, & in regione noſtra pertulit mala, „promiſit tamen nobis, quod ibi futuri ſimus, unde

„venit,

„venit, & ait: Pater volo, ut ubi ſum, & ipſi „ſint mecum. Tanta præceſſit dilectio, quia ubi „nos eramus, fuit nobiſcum, ubi ipſe eſt, erimus „cum illo. Quid tibi promiſit Deus, o homo „mortalis? quia victurus es in æternum. Non „credis? crede, crede. Plus eſt jam quod fecit, „quam quod promiſit. Quid fecit? mortuus eſt „pro te. Quid promiſit? ut vivas cum illo. In„credibilius eſt, quod mortuus eſt æternus, quam „ut in æternum vivat mortalis. Jam quod incre„dibilius eſt, tenemus. Si propter hominem mor„tuus eſt Deus, non eſt victurus homo cum Deo? „non eſt victurus mortalis in æternum, propter „quem mortuus eſt, qui vivit in æternum?„

Aliam fiduciæ excitandæ rationem init Salvianus *Libr.* 2. *ad Eccleſiam Catholic.*

„Quis promiſſis cœleſtibus fidem commodat, „& non agit, ut eſſe poſſit particeps promiſſionum? „& ideo cum videamus, homines hæc non agere, „cogimur non credentes palam, & evidenter agno„ſcere. Non licet, ut eos nos Deo fidem pute„mus adhibere, cum illi ſe rebus clament negare. „In quo neceſſe eſt infidelitatem pene omnium ho„minum plangi, atque lugeri. O miſeria! o per„verſitas! homini ab homine creditur, & non cre„ditur Deo: humanis promiſſionibus fides com„modatur, Deo negatur. Omnia denique in re„bus humanis ſpes futurorum agunt: vita quoque „ipſa hæc temporaria non niſi ſpe alitur, ac ſuſti„netur, ideo enim terris frumenta credimus, ut „cum uſuris credita recipiamus. Ideo in vineis „labor maximus ponitur, quia homines ſpes vin„demiæ conſolatur. Ideo negotiatores theſauros „ſuos emptionibus vacuant, dum venditionibus „ſperant eſſe cumulandos. Ideo navigantes vitam „ventis, ac tempeſtatibus credunt, ut ſpebus, vo„tiſque potiantur. Et quid plura? Pax quoque

„inter feras, ac barbaras gentes ſpe innititur, & „fide adſtipulante firmatur. Latrones quoque ipſi „& ſanguinarii fidem ſibi invicem non negant, & „quæ promiſerint, mutuo ſervaturos eſſe confidunt. „Totum denique, ut dixi inter homines ſpebus „agitur. Solus Deus eſt, de quo deſperatur. Cum- „que elementa ipſa & naturam mundi Dominus „noſter fidelem fecerit, illi tantum prope ab om- „nibus non creditur, qui ſolus fecit, ut rebus om- „nibus crederetur.„

Quam dulciter, etiam quam paterne, quam dextre Chryſoſtomus lapſum Theodorum erigit; ne, ſi abjecta ſpe jacere pergat, in ipſam denique deſperationem prolabatur! Vide *initium Libri II.* ad *Theodorum* illum perſcripti.

CAPUT XIV.

Specimina Timoris.

Timorem excitant Patres contra *temeritatem & præſumptionem* ex *incertitudine gratiæ*, *mortis; longanimitate* item *fruſtratisque tam beneficiis*, *quam monitionibus Dei; pœnis aliorum*, *metu & angoribus Sanctorum*, *multitudine* & *gravitate peccatorum*, *imbecillitate*, quam vel ipſi toties experti, ac confeſſi ſumus. Et ſaluberrime id quidem. Nam *ſolent plerique hominum*, ut Chryſoſtomus *initio hom.* 3. *in ad Roman.* ait, *non tam promiſſione bonorum quam triſtium timore ad virtutem pertrahi.* Id quod diſerte etiam profani admonuerunt. Accedit & illud, quod, ut idem alibi monet, * ne ſic quidem multi in officio contineri poſſint: quanto minus tum continerentur, quando ablato terrore ſecuros ſe, atque impune

* *Homilia* 3. *in ad Philemonem.* Idem quoque, quam ſalutares minæ, ac timor eſſent cum alias, tum fuſe *hom.* 15. *in ad Timotheum* oſtendit.

impune abituros exiſtimarent? itaque Patres hoc affectu uſi ſunt perpetuo, &, quia tam cognitum habebant cor hominis, omnesque aditus ad illum exploratos, feliciſſime ſane adhibuerunt; *comminando* ſcilicet cum æternas, tum etiam hujus vitæ pœnas, quæ magis movent. Ut enim recte Auguſtinus *Libr. de duabus animabus contra Manichæos*, ait: *omnis hæc temporalis vindicta infirmos animos tenet, ut enutritos ſub diſciplina erudiat, atque a ſempiternis, & ineffabilibus ſuppliciis poſſit avertere; quia plus timent carnales homines, quod in præſenti Deus vindicat, quam illud, quod futurum minatur.* Propterea & nos expectationem mali, quæ tam multum in animos valet, ac velut frænum eſt perverſæ naturæ injectum hodieque proventu animarum uberrimo adhibemus. Ego certe pro mea parte nihil duxerim potius, quam timoris affectum pro ordinariis ſaltem concionibus, ut inter fulgura verborum, fragoremque vocis extrema mala velut ex ſignis imminentia, pendentiaque nutu, ſtratis jam circa aliis, & remedium fruſtra quærentibus intententur. *Timeat orationem* ait Bernardus *Libr.* 4 *de conſiderat. ad finem, qui admonitionem contempſit. Cui tu ſacerdos iraſceris, Deum ſibi iratum, non hominem putet.* Iſtuc autem ipſum ut recte fiat, ex Patribus fere petendum eſt. Facit huc ipſe genius quorumdam, auſterus ille, & naturali rigore ſuffultus, qui cum nulla ſæculi conſuetudine molliretur, in ſalubrem quamdam aſperitatem totus evaſit. Nempe ſibi ipſis duriſſimi cum eſſent, & ferrei ad voluptates, atque ex ſolitudine velut alium in orbem prodirent, graves oneribus, minisque Prophetarum, ſua diſciplina ceteros quoque metiebantur, & ferre nulla ratione poterant. quod tanta ubique etiam inter Chriſtianos, & ſacros homines humanitus acciderent. Itaque in ſcriptis & concionibus terrorem præferunt, noviſſimas res

noſtras identidem ob oculos ſtatuunt, magnaque vi & graviſſimis ictibus ſceleſtos affulminant. Tales ſunt Tertullianus, Pacianus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Salvianus, Euſebius Gallicanus ad Monachos, Bernardus &c., qui plerumque omnes non per cuniculos oppugnant vitiorum munimenta, nullam imbecillitatis rationem habent, ubique cauterium expromunt, late terrorem ſpargunt, atque obſtantia omnia disjiciunt potius, quam propellunt. Ut primum enim vident quemdam eſurire, dum ceteri epulantur, ut vix audierunt quod adoleſcens loquatur cum virgine, quod muliercula ſe comat elegantius, quod ſtridulos habeat calceos, vel fluere quædam mollius ſinat, quod conventus nocturni, & ſpectacula celebrentur! mox invadunt toto impetu, minantur, exaggerant, collapſos lamentantur mores, exiiſſe ex animis metum, e corporibus pudorem, ſumma imis permixta; atque ideo vindictam pro foribus eſſe. Hos vero qui imitaretur paſſim, cum neque opinionem eam ſanctitatis, neque officii dignitatem habeat, exulceraret plura vulnera, quam curaret. Itaque moderandus eſt hic affectus, &, quoniam fere meliores accedunt ad concionem, ubique conſolatio admiſcenda. Sed & in publicis abuſibus non tonandum continuo, ac fulminandum. *Non ergo aſpere, quantum exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur: magis docendo, quam jubendo; magis monendo quam minando*, ut Auguſtinus ait * *addens cum dolore, et verbis ſcripturæ minas proferendas, ne nos ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeatur.* Quod prætereundum non erat propter juniores, apud quos terror, & minæ facile modum excedunt, atque ita vaſtam & deformem efficiunt orationem omnem. ** Latera illa firma,

* *Epiſt. 64. nunc 22. ad aurelium.*
** *Libr. 4. de doctr. chriſtian. c.*

ma, vox grandis atque meſſoria, ſed & reliqua præſidia eloquentiæ erunt injucunda, ſi inſtar plauſtri male delibuti ſtrideas ſemper, geſtuumque impotens jam ſudes, jam ſpumes, jam mugias, & pulpitum ferire non contentus, frontem quoque percutias, ſicque velut raptus ab indomito equo totum te iracundiæ permittas, multi te non ut legatum Chriſti, ſed ut Furiam ex veteri Tragœdia, reſpicient, atque ut primum os aperueris, non ſecus cohorreſcent, quam olim pueri ad Manducum. Sed & prudentiores naturæ ferociam culpabunt, actiones tuas *caninam facundiam* dicent * imo indignabuntur palam. Quod cum grege tuo ut cum lupis atque moloſſis agas. Accedit, quod puſillanimes ſunt plurimi, ipſique peccatores infirmitate labuntur, qui te ita perſtrepente virtutem æque horridam putant, ac tu es, & ſpem conſequendæ ejus continuo abjiciunt. *Nemo*, vero, ait, S. Martinus Bracarenſis, *nemo ſe mutat*, *qui mutari ſe deſperat.* Itaque tutiſſimum ſit, timorem cum alio ſemper affectu conjungere, id quod & Patres ipſi faciunt, iisdem prorſus rationibus, quibus ſpem exigunt, & audaciam accendunt. Vide, quæ ibi diximus, & Chryſoſtomum *hom.* 5. *in acta*, ubi ſapienter admonet, non ſemper terribilia pro concione expromenda.

Fuſum, & admirabile timoris ſpecimen dat Chryſoſtomus *homil.* 8. *in* 1. *ad Theſſalonicenſ.* neque abſimile eſt illud *hom.* 25. *in ad Romanos.* Sed primum audiamus.

„Quando ergo hæc facta fuerint, tunc erit & „vox Archangeli præcipientis Angelis, & clamantis, „& turbæ, vel potius turbarum ſonitus; Qualis „ergo tremor, qualis metus invadet eos, qui vi„vent

* De talibus notanda vox ipſius oratoris Romani: *Latrant jam quidam oratores, non loquuntur.*

„vent in terra! una enim rapitur, & una dimitti-„tur, & unus aſſumitur, & unus dimittitur. Quis „erit eorum animus, cum illos quidem in altum „tolli, ſe vero dimitti viderint? an non quavis ge-„henna terribilius poterunt hæc perterrere? Pona-„mus ergo verbis, hoc jam adeſſe. Si enim mors „repentina, vel in urbibus terræmotus, & minæ „ita noſtros afficiunt animos: quando viderimus „effractam terram, & illis omnibus repletam, „quando tubas audierimus, quando Archangeli vo-„cem, quavis turba clariorem, quando videbimus „cœlum contrahi, quando ipſum adeſſe omnium „Regem Deum, quis erit nobis animus? horrea-„mus rogo, & exumeſcamus, tanquam hæc jam „fiant: ne dilatione, & mora nos ipſos conſole-„mur. Nam cum omnino fieri oporteat, nihil ju-„vat dilatio. Quantus tunc eſt tremor, quantus „metus? vidiſtis aliquando eos, qui abducuntur „ad mortem? quo animo eos eſſe putatis, ingre-„dientes viam usque ad portam, quot mortibus „non pejorem? quid non eligant & agere, & pati, „ut ab illa liberentur caligine, & nube? ego mul-„tos audivi, qui Imperatoris clementia poſtquam „abducti fuerant, erant revocati, quod nec homi-„nes viderint, tanquam homines, adeo erat turba-„tus, & ſtupefactus, & emotus animus. Si nos „ita tenet mors corporalis, quando advenerit æter-„na, quomodo erimus affecti? & quid dico de iis, „qui ad mortem abducuntur! tunc eos circumſi-„ſtit turba, plures ipſos ignorantes, ſi quis tamen „illorum animos circumſpexerit, nemo eſt adeo „ſævus, nemo tam forti, & magno animo, qui „non ipſam habeat animam conſternatam, ac de-„jectam, & metu, & ægritudine diſſolutam. Si „autem aliis hanc mortem ſuſcipientibus, quæ a „ſomno nihil differt, ita afficiuntur, qui ejus non „ſunt participes: quando nos ipſi in majora inci-

„derimus,

„derimus, quomodo nos habebimus? Non poteſt, non „poteſt, credite, verbis explicari, quomodo afficie„mur. Certe, inquit; ſed Deus eſt clemens, & „miſericors, & horum nihil erit. Ergo hæc fru„ſtra ſcripta ſunt? Non, inquit; ſed usque ad mi„nas ſolum procedet, ut ſapiamus. Si ergo non „ſapiamus, ſed mali eſſe pergamus, non inferet, „dic mihi, ſupplicium? Ergo nec bonos remune„rabitur. Certe, inquit, illum enim decet etiam „ſupra merita afficere beneficiis. Quamobrem il„la quidem vera, & omnino erunt: quæ ad ſup„plicia autem attinent, non erunt omnino; ſed „ſunt ſolum propter minas, & metum. Quomo„do ſim vobis perſuaſurus, neſcio. Si dixero, „quod vermis eorum non morietur, & ignis non „extinguetur: ſi dixero, quod deſcendent in ignem „æternum: ſi adduxero divitem, qui jam punitur, „minas ea dicetis eſſe omnia. Quomodo ergo vo„bis perſuadebo? hæc eſt enim ſatanica cogitatio, „inutilem præbens gratiam, ignavosque reddens, „& deſides. Quomodo eam eximemus? quæcun„que dicemus ex ſcripturis, ea dicetis eſſe minas. „Sed hoc quidem dixeris de futuris; ſed de iis, „quæ evenerunt, & ad fidem pervenerunt, mini„me. Audiviſtis omnes de diluvio. Num illa quo„que dicta ſunt propter minas? an non & evene„runt, & facta ſunt? ejusmodi multa illi quoque „dicebant, & cum centum annorum ſpatio fabri„caretur arca, & compingerentur ligna, & juſtus „clamaret, nemo erat, qui crederet. Sed quoniam „non crediderunt minis, quæ fiebant verbis, rebus „ipſis ſubierunt ſupplicium. Hoc ipſum quoque „nobis accidet, ſi non crediderimus. Propterea „ejus quoque adventum comparat diebus Noë; „quoniam ſicut illi diluvio quidem non credide„runt, ita etiam diluvio gehennæ. Illane ſunt mi„næ, an non revera facta ſunt? Deinde qui tam

 „repen-

„repente intulit ſupplicium, non multo magis nunc „quoque inferet? Non enim, quæ nunc fiunt, ſunt „minora iis, quæ tunc fiebant. Quomodo! tunc „ingreſſi, inquit, ſunt filii Dei ad filias hominum, „& res gravis erat ille concubitus. Nunc autem „nullum eſt genus vitii, & ſceleris, quod non ad„mittatur. Creditisne fuiſſe diluvium: an id vo„bis videtur eſſe nugæ? atqui & montes, in qui„bus ſtetit arca, id teſtantur, montes inquam Ar„meniæ. Sed ex multa, quæ mihi ſuppetit, co„pia, ad alterum hoc manifeſtius deducam oratio„nem. Peregrinatus ne eſt ex vobis quiſpiam un„quam in Palæſtina? jam enim non amplius verba „dicam, ſed facta, quamquam priora erant rebus „ipſis evidentiora. Nam quæ dixerit, ea ſunt iis, „quæ videntur, credibiliora. Peregrinatus ne eſt „ergo ex vobis quiſpiam in Palæſtina? ego qui„dem opinor. Quid ergo? vos, qui illa loca vi„diſtis, ferte mihi teſtimonium apud eos, qui il„lic non fuerunt. Supra Aſcalonem, & Gazam, „ubi deſinit Jordanis fluvius, eſt magna regio, & „fertilis, imo vero erat, nunc enim non eſt. Ipſa „ergo erat ut paradiſus. *Vidit enim,* inquit, Loth „*univerſam circa Jordanem regionem, & erat irrigua* „*ſicut Dei paradiſus.* Ipſa ergo quæ erat adeo flo„rida, & cum omnibus certabat regionibus, quæ „fertilitate æquabat Dei paradiſum, eſt nunc qui„busvis deſertis deſertior, & ſtant arbores, & ha„bent fructus: fructus autem eſt iræ Dei monimen„tum. Stant enim mala punica, lignum, inquam, „& fructus, quæ præclaram habent ſpeciem, & „exteriorem ſuperficiem, & ignoranti præbent bo„nam ſpem: ſi ſumptæ autem fuerint in manus, „fractæ, nullum quidem fructum, ſed multum „oſtendunt pulverem, & cinerem, intus repoſitum. „Talis eſt univerſa terra, & ſi inveneris lapidem, „invenies oppletum cinere. Et quid dico lapidem,

„& ligna,

„& ligna, & terram, cum & aër, & aquæ ſint par-
„ticipes calamitatis? ſicut enim exuſti corporis fi-
„gura quidem, & typus manet in aſpectu ignis,
„& magnitudo, & proportio, virtus autem mi-
„nime; ita hic quoque terram quidem licet vide-
„re, ſed quæ nihil habeat terræ, ſed omnia ci-
„nerem: arbores, & fructus, ſed quæ nihil habe-
„ant arborum, & fructuum: aërem, & aquam,
„ſed quæ nihil habent aëris, nec aquæ; nam ea
„quoque ſunt oppleta cinere. Atqui quomodo aër
„potuerit aliquando comburi, & aqua quomodo,
„manens aqua? nam uri quidem poſſunt ligna, &
„lapides, aër autem & aqua minime poſſunt. No-
„bis quidem non poſſunt, ei autem, qui ipſa fe-
„cit, poſſunt. Nihil eſt ergo aliud aër, quam for-
„nax, fornax aqua, omnia infrugifera, omnia non ge-
„nitalia, omnia iræ, quæ præceſſit, imagines, futuræ
„indicia. An hæc quoque ſunt minæ, an ſonus tan-
„tum verborum? nam mihi quidem neque priora
„ſunt incredibilia, ſed ſimiliter atque quæ viden-
„tur, quæ non videntur ſunt credibilia: infideli
„autem hæc quoque ſatis ſunt ad faciendam fidem.
„Si quis non credit gehennam, cogitet Sodoma,
„veniat ei in mentem Gomorra, ſupplicium, quod
„fuit, & adhuc manet. Hoc eſt indicium, quod
„æternus ſit cruciatus. Gravia ſunc hæc: illa au-
„tem non ſunt gravia, quando dicis non eſſe ge-
„hennam, ſed Deum ſolummodo eſſe minatum?
„quando manus populi relaxas, ac diſſolvis, me
„hæc cogis dicere, qui non credis. Si verbis Chri-
„ſti crediſſes, non neceſſe habuiſſem ex rebus fi-
„dem facere; quoniam autem illa refugiſti, velis
„nolis illis jam perſuadeberis. Quid enim habetur,
„quod dicas de Sodomis? vis etiam ſcire cauſam,
„propter quam hæc tunc facta ſunt? unum erat
„peccatum, grave quidem, & execrandum, ſed
„tamen unum. Puerorum inſano capti erant amo-

„re,

„re, ii qui tunc erant: & propterea has dederunt „pœnas. Nunc autem innumerabilia & paria, & „his majora admittuntur peccata. Itane qui pro „uno peccato tantam effundebat iram, & neque „preces Abraham reſpexit, neque Loth incolam, „qui pro honore, quem ejus habuit ſervis, ſuas fi- „lias probro afficiendas permiſit, cum tot ſint pec- „cata, parcet? Hæc plane ſunt ridicula, nugæ, & „error, & deceptio diabolica. Vis aliam quoque „ſubjungam? Pharaonem audis Regem Ægyptio- „rum. Noſti ergo & quas dedit pœnas: quomo- „do cum curribus, & equis, & toto exercitu de- „merſus fuit in rubro mari. Vis etiam alia diſce- „re? ille quidem fortaſſe erat impius, imo non „fortaſſe, ſed revera erat impius. Vis videre etiam „ex iis, qui Deo credebant, & Deum quidem „ſequebantur; non erat tamen recta eorum vitæ „inſtitutio, aliquos punitos? audi Paulum dicen- „tem: *Neque fornicemur, ſicut quidam eorum ſunt „fornicati: & ceciderunt uno die viginti tria millia. „Neque murmuremus, ſicut quidam eorum murmura- „runt & perierunt ab exterminatore: neque tentemus „Chriſtum, ſicut quidam eorum tentarunt, & perie- „runt a ſerpentibus.* Si autem tantum potuit ſcor- „tatio, ſi murmuratio, quid noſtra efficient? Si „autem non ſumit pœnas, ne mireris. Nam illi „quidem non norant gehennam, ideo e veſtigio „afficiebantur ſupplicio: Tu autem, quidquid pec- „caris, etiamſi nullas des pœnas, illic lues omnia. „Itane illos quidem, qui erant pueriles magis, & „tam multa peccata non admiſerant, tam graviter „punivit, nobis autem parcet? non eſt rationi con- „ſentaneum. Nam etiamſi eadem, quæ illi peccata „admittamus, majorem pœnam meremur. Quam- „obrem? quoniam majorem gratiam ſumus aſſecuti. „Quando autem majora, & plura, quam illi pec- „cata admittimus, quas non luemus pœnas? Illi,

„neque

„neque vero quis exiſtimet, me aut eos admiran-
„tem, aut eis ignoſcentem hoc dicere; abſit: quan-
„do enim Deus punit, qui contrariam fert ſenten-
„tiam, hoc mente facit diabolica: non ergo eos
„laudans, neque eis ignoſcens hoc dico, ſed no-
„ſtrum oſtendens vitium: Illi inquam, etſi mur-
„murabant, at veniebant in deſertum, nos autem
„cum & patriam habeamus, & ſimus in noſtris
„ædibus, murmuramus. Illi autem, etſi ſcortaban-
„tur, id tamen faciebant, cum recens diſceſſiſſent
„ab Ægyptiacis moribus, & hanc legem non au-
„diiſſent: nos autem a majoribus acceptis ſalutari-
„bus decretis, majus meremur ſupplicium. Vis
„etiam alia audire, quæ paſſi ſunt in Palæſtina,
„famem, peſtem, bella, captivitatem, tam apud
„Babylonios, quam apud Aſſyrios, mala quibus
„ſunt affecti a Macedonibus, ſub Adriano, & Ve-
„ſpaſiano: volo tibi o dilecte! aliquid enarrare,
„ſed ne reſilieris. Imo vero ante hoc dicam aliud.
„Fuit aliquando fames, & Rex ambulabat ſuper
„murum. Deinde accedens mulier hæc illi dixit
„verba: Rex! hæc mulier dixit mihi: aſſemus fi-
„lium tuum hodie, & comedamus, & cras meum.
„Et aſſavimus, & comedimus: illa vero ſuum non-
„dum dedit. Quid eſt hac calamitate gravius?
„Rurſus alibi dicit Propheta: Manus mulierum mi-
„ſericordium coxerunt filios ſuos. Judæi quidem has
„dederunt pœnas: nos autem non majores his da-
„bimus? Vis etiam eorum aliam audire calamita-
„tem? Lege Joſephum, & diſces totam illam tra-
„gœdiam. Ex hisne tibi perſuadebimus eſſe ge-
„hennam? Cogita enim, ſi illi puniebantur, cur
„nos non punimur? aut quomodo eſt conſenta-
„neum nos non puniri, qui gravius, quam illi de-
„linquimus? an non ſcilicet, quia repoſitum eſt
„nobis ſupplicium? Si vis autem, dicam etiam in
„qualibet perſona, quomodo ſint puniti. Fratrem
„occidit

„occidit Cain: grave quidem peccatum, quis ne-„get? ſed dedit pœnas & graves, & mille mor-„tibus comparandas. Maluiſſet enim millies mori. „Audi enim eum dicentem: ſi me ejicias terra, & „abſcondar a facie tua, & erit omnis, qui me in-„veniet, occidet me. Dic mihi ergo. Nonne ea-„dem nunc multi faciunt, quæ ille? quando enim „non carnalem, ſed ſpiritualem fratrem interem-„eris, non idem feciſti? quid tum enim, ſi non „enſe, ſed alio modo? quando cum poſſes ſedare „famem, neglexeris? Quid ergo? nullus invidit „nunc fratri? nemo conjecit in pericula? Sed hic „non dederunt pœnas: verum dabunt. Deinde, „qui non legem quidem audiit ſcriptam, neque „Prophetas, neque magna ſigna vidit, tantum dat „ſupplicium: alter autem, qui eadem fecit, & ne-„que tam multis caſtigatur exemplis, abibit impu-„ne? & ubi eſt Dei juſtitia? ubi bonitas? Rurſus „quidam, qui ſabbatho ligna collegerat, lapidi-„bus eſt obrutus: etſi mandatum eſt leve, & cir-„cumciſione minus. Qui ligna collegerat in ſab-„batho, lapidatus eſt: qui autem ſæpe innumerabi-„lia admiſerunt contra leges, abibunt impune? Si „ergo non eſt gehenna, ubi eſt juſtitia? ubi eſt, „quod dicitur, non eſſe acceptionem perſonarum? „atqui multorum ejusmodi eos inſimulant, quod „ſabbatha non cuſtodiant. Rurſus quidam alius „filius Charmi anathema ſuffuratus, cum toto ge-„nere obrutus fuit lapidibus. Quid ergo, nemo „ex illo tempore fuit ſacrilegus? Saul rurſus, qui „præter Dei voluntatem pepercit, tantum ſuſtinuit „ſupplicium: nullus ergo ab illo tempore peper-„cit? utinam quidem ita eſſet, & non nos magis, „quam feræ alter alterum comederemus contra „quam Deo placeat, & nemo in bello cecidiſſet. „Rurſus filii Eli, quoniam comedebant ante incen-„ſum, graviſſimas pœnas dederunt cum patre. „Nullus

„Nullus ergo pater fuit negligens, & indulgens „in filios: neque filii improbi, & ſcelerati? at ne- „mo dedit pœnas. Quando ergo dabunt, ſi non „ſit gehenna? Rurſus potueris recenſere innumera- „bilia. Quid vero? Ananias, & Sapphira, quo- „niam ſuffurati erant ex iis, quæ Deo obtulerant, „& conſecrarant, ſtatim puniti ſunt. Nullus ergo „hæc fecit ex illo tempore? quomodo ergo non „easdem luerunt pœnas? tibine perſuademus eſſe „gehennam, an pluribus tibi opus eſt exemplis? „Veniemus ergo etiam ad ea, quæ non ſunt ſcripta, „quæ nunc fiunt. Neceſſe eſt enim hanc notionem „undique nobis colligi, ne temere nobis indulgen- „tes, nos ipſos lædamus. Non vides multos in „calamitatibus corporis mancos, & mutilatos, „mala pati innumerabilia, alios autem florere, & „in bona eſſe exiſtimatione? quare alii quidem dant „pœnas credis; alii vero non? Audi Paulum di- „centem: *Quorumdam hominum peccata manifeſta „ſunt præcedentia ad judicium: quorumdam autem „ſubſequuntur.* Quam multi evaſerunt, qui cædem „fecerant? quam multi ſepulchrorum effoſſores? „Sed hæc miſſa fiant. Quot ſunt, quos non vides „gravi puniri ſupplicio? alii quidem gravi morbo „traditi ſunt, alii autem perpetuis tormentis, alii „autem malis innumerabilibus. Quando ergo vi- „deris quempiam, qui eadem, quæ ipſi admiſerit, „& multo plura, & non dat pœnas, an non vel „invitus gehennam fateberis? elige eos, qui hic „ante te ſunt graviter puniti: cogita, quod Deus „perſonas non reſpicit, nec earum habet rationem; „quod & cum mala feceris innumera, nihil ejus- „modi paſſus es, & tibi in mentem veniet gehen- „na. Ita enim nobis Deus eam inſevit, ut nemo „unquam hoc ignoraverit. Nam & Poëtæ, & Phi- „loſophi, & fabularum ſcriptores, & omnes, ut „ſemel dicam homines de remuneratione, quæ il- „lic

„lic ſit, ſunt philoſophati, & multos dixerunt pu-„niri apud inferos. Si autem illa ſunt fabulæ, ſed „non ea, quæ ſunt apud nos. Hæc dixi volens „non vos temere terrere, nec veſtros gravare ani-„mos, ſed moderatos, & leniores reddere. Vel-„lem ipſe quoque non eſſe ſupplicium. & maxime „omnium ego. Quamobrem? quoniam unusquis-„que quidem ex vobis de ſua timet anima? ego „autem ſum obnoxius reddendæ rationi hujus præ-„fecturæ, ita ut ego omnium maxime effugere ne-„queam. Sed fieri non poteſt, ut non ſit gehen-„na, & ſupplicium. Quid agam? Rurſus dubi-„tant, & dicunt: ubi eſt ergo Dei clementia? „ubique. Sed magis de eo diſſeram alio tempore, „ne ſermonem, qui fit de gehenna, confundamus: „interim autem non effluat, quod ex dictis lucrati „ſumus. Non eſt enim parum lucri de gehenna „certam habere perſuaſionem. Horum enim ver-„borum memoria tanquam acre aliquod medica-„mentum omne vitium poterit abſtergere, menti „noſtræ aſſiduе inſidens. Ergo utamur illo, ut ſic „corde mundi, digni habeamur, qui videamus, „quæ neque oculus vidit, nec auris audivit, ne-„que in cor hominis aſcenderunt, quæ detur no-„bis omnibus conſequi gratia, & benignitate „D. N. J. C. cum quo Patri, ſimulque Spiritui San-„cto &c.„

S. Bernardus *Serm. de ſex tribulationibus.*

„Monet horror in exitu, dolor in tranſitu, pu-„dor in conſpectu gloriæ magni Dei. Unde no-„bis iſta diſſimulatio eſt fratres mei? unde hæc „tam perniciosa tepiditas? unde hæc ſecuritas ma-„ledicta? Quid ſeducimus miſeri nosmetipſos? „forſitan jam divites facti ſumus? forſitan jam re-„gnamus? Nonne oſtium domus noſtræ horribiles „ſpiritus illi obſident? nonne exitum noſtrum lar-„vales illæ facies præſtolantur? Quis ille pavor erit

„o anima

„o anima mea, cum dimiſſis omnibus, quorum „tibi eſt tam jucunda præſentia, tam gratus aſpe-„ctus, cohabitatio ipſa tam familiaris, ſola ingre-„diens incognitam penitus regionem, occurſantia „tibi catervatim ruere teterrima illa monſtra vide-„bis? Quis tibi in die tantæ neceſſitatis occurret? „quis tuebitur a rugientibus præparatis ad eſcam? „quis tuebitur? quis deducet? Filioli mei! memo-„remur hæc noviſſima noſtra ne peccemus. Nam „& per ignem nobis tranſeundum eſt, & unius-„cujusque opus quale ſit, ignis probabit. Ibi enim „aurum noſtrum vertetur in ſcoriam: ibi revela-„bitur univerſa impuritas; ibi veritas ipſa accepto „tempore, quod nobis interim datum contemni-„mus, juſtitias judicabit. Quid vero illic omnes „juſtitiæ noſtræ, niſi pannus menſtruatæ reputa-„buntur. Quidquid nunc parvipendendo tranſi-„mus, palpando tegimus, diſſimulando negligimus, „quanto illic cruciatu vindex flamma conſumet? „utinam magis nunc daret quis capiti meo aquas, „& oculis meis fontem lacrymarum! forte enim „non reperiret ignis exurens, quod interim fluens „lacrima diluiſſet. Jam vero poſt ignem illum „putas reſiduum aliquid invenietur in nobis? aut „tantum erit, ut audeamus illud vultui majeſtatis „offerre, aut ejus ſic adſtare conſpectui? Quis ille „pudor erit, quæve confuſio, poſt tanta beneficia „tam tepidos, tam imperfectos, tam vacuos appa-„rere ante faciem Dei noſtri? Fugiebat Adam, „ut abſconderetur ab eo, poſt unius utique pomi „vetiti guſtum: quid nos poſt tanta flagitia, poſt „tanta facinora præſumemus? quando ab hac con-„fuſione purgabitur oculus cordis, cui nunc ope-„ram dare negligimus, ut irreverberata acie veri „illius ſolis radios valeat intueri? Sicut fluit cera „a facie ignis, ſic peribunt peccatores a facie Dei, „Ingrediatur utique putredo in oſſibus meis, &

„ſubter me ſcateat, ut requieſcam in die tribulatio-„nis hujus *ſeptimæ*, & in ea non tangat me ma-„lum, malum hoc triplex horroris, doloris, & pu-„doris. Felix ſiquidem anima, quæ fiducialiter „inimicis ſuis loquetur in porta: *quid hic aſtas cru-„enta beſtia? nihil in me funeſtum reperies*: felicior, „cujus opus non arſerit, quem ſuperædificaſſe au-„rum, argentum, lapides pretioſos examen illud „inveniet: feliciſſimus, qui ſine ulla nube confu-„ſionis revelata penitus facie, gloriam Domini ſpe-„culando in eandem imaginem transformabitur, & „ſimilis erit illi, videns eum ſicuti eſt, utique ſu-„per omnia Deus benedictus, & laudabilis, & glo-„rioſus in ſæcula ſæculorum amen.„

Quam grandis, quam acer, quam urgens affe-ctus, cui una & honor, & perturbatio, & pœni-tudo, & verecundia debent ancillari!

Cyprianus *de mortalitate* ſic inter alia dicit ad peſtilentiæ graſſantis metum propulſandum:

„Gratulari magis oportet, & temporis munus „amplecti, quod dum noſtram fidem firmiter pro-„mimus, & labore tolerato ad Chriſtum per an-„guſtam Chriſti viam pergimus, præmium vitæ, & „fidei ipſo judicante capiamus. Mori plane time-„at, ſed qui ea aqua, & ſpiritu non renatus, ge-„hennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui „non Chriſti cruce, & paſſione cenſetur. Mori „timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte „tranſibit. Mori timeat, quem de ſæculo receden-„tem perennibus pœnis æterna flamma torquebit. „Mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, „ut cruciatus ejus, & gemitus interim differatur. „Multi ex noſtris in hac mortalitate moriuntur, „hoc eſt multi ex noſtris de ſæculo liberantur. „Mortalitas iſta, ut Judæis, & gentibus, & Chriſti „hoſtibus peſtis eſt; ita Dei ſervis ſalutaris exceſ-„ſus eſt. Hoc quod ſine ullo diſcrimine generis „humani

„humani cum injuſtis, & juſti moriuntur, non eſt, „quod putetis bonis, & malis interitum eſſe com„munem. Ad refrigerium juſti vocantur: ad ſup„plicium rapiuntur injuſti. Datur velocius tutela „fidentibus, perfidis pœna. Improvidi, & ingrati „ſumus fratres dilectiſſimi ad divina beneficia, nec „quid nobis conferatur, agnoſcimus. Excedunt „ecce in pace tutæ cum gloria ſua Virgines, veni„entis Antichriſti minas, & corruptelas, & lupana„ria non timentes. Pueri periculum lubricæ æta„tis evadunt, ad continentiæ, atque innocentiæ „præmium feliciter perveniunt. Tormenta jam non „timet delicata matrona, metum perſecutionis, & „manus, cruciatusque carnificis moriendi celeritate „lucrata. Pavore mortalitatis, & temporis accen„duntur tepidi, conſtringuntur remiſſi, excitantur „ignavi, deſertores compelluntur, ut redeant, gen„tiles coguntur, ut credant, vetus fidelium popu„lus ad quietem vocatur, ad aciem recens, & co„pioſus exercitus robore fortiore colligitur, pugna„turus ſine metu mortis, cum prælium venerit, „qui ad militiam tempore mortalitatis accedit. Quid „deinde illud fratres dilectiſſimi quale eſt, quam „pertinens, quam neceſſarium, quod peſtis iſta, & „lues, quæ horribilis, & feralis videtur, explorat „juſtitias ſingulorum, & mentes humani generis „examinat? an infirmis ſerviant ſani? an propin„qui cognatos pie diligant? an miſereantur ſervo„rum lanquentium domini? an deprecantes ægros „non deſerant medici? an feroces violentiam ſuam „comprimant? an rapaces avaritiæ furentis inſatia„bilem ſemper ardorem vel metu mortis extinguant? „an cervicem flectant ſuperbi? an audaciam leni„ant improbi? an pereuntibus caris vel ſic aliquid „divites largiantur, & donent ſine hærede morituri? „ut nihil aliud mortalitas iſta contulerit: hoc chri„ſtianis, & Dei ſervis plurimum præſtitit, quod

„martyrium cæpimus libenter appetere, dum mortem diſcimus non timere. Exercitia ſunt nobis „iſta, non funera, dant animo fortitudinis gloriam, „contemptu mortis præparant ad coronam. „

Iterum.

„Meminiſſe debemus voluntatem nos non noſtram, ſed Dei facere debere, ſecundum quod „nos Deus quotidie juſſit orare. Quam præpoſterum eſt, quamque perverſum, ut, cum Dei „voluntatem fieri poſtulemus, quando evocat nos, „& accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim vo„tuntatis ejus imperio pareamus! hoc nitimur, & „reluctamus, & pervicacium more ſervorum ad „conſpectum Domini cum triſtitia, & mærore perducimur, exeuntes iſtinc neceſſitatis vinculo, non „obſequio voluntatis; & volumus ab eo præmiis „cœleſtibus honorari, ad quem venimus inviti! quid „ergo rogamus, & petimus, ut adveniat regnum „cœlorum, ſi captivitas terrena delectat? quid pre„cibus frequenter iteratis rogamus, & poſcimus, „ut acceleret dies regni, ſi majora deſideria, & „vota potiora ſunt ſervire iſtic diabolo, quam re„gnare cum Chriſto? Denique ut manifeſtius di„vinæ providentiæ judicia clareſcerent, quod Do„minus præſcius futurorum ſuis conſulat ad veram „ſalutem, cum quidam de collegis, & conſacer„dotibus noſtris jam infirmitate defeſſus, & de „appropinquante morte ſolicirus, commeatum ſibi „precaretur, aſtitit deprecanti, & jam pene mori„enti juvenis honore, & majeſtate venerabilis, ſtatu „excelſus, & clarus aſpectu, & quem aſſiſtentem „ſibi vix poſſet humanus aſpectus oculis carnalibus „intueri, niſi quod talem videre jam poterat de „ſæculo receſſurus. Atque ille non ſine quadam „animi, & vocis indignatione infremuit, & dixit: „Pati timetis, exire non vultis: quid faciam vo„bis? increpantis vox eſt, & monentis, qui de

„per-

„perſecutione ſolicitis, de accerſione ſecuris non
„conſentit ad præſens deſiderium, ſed conſulit in
„futurum. Audivit frater noſter, & collega mori-
„turus quod ceteris diceret. Nam qui moriturus
„audivit, ad hoc audivit, ut diceret; audivit non
„ſibi illa, ſed nobis. Nam quid diſceret jam
„receſſurus? didicit imo nobis jam remanentibus,
„aut dum ſacerdotem, qui commeatum petebat,
„increpitum eſſe comperimus, quid cunctis expe-
„diat, agnoſceremus. Nobis quoque ipſis mini-
„mis, & extremis quoties revelatum eſt, quam
„frequenter, atque manifeſte de Dei dignatione
„præceptum eſt, ut conteſtarer aſſidue, & publi-
„ce prædicarem fratres noſtros non eſſe lugendos,
„accerſione divina de ſæculo liberatos; cum ſciam
„non eos amitti, ſed præmitti, recedentes præce-
„dere, ut proficiſcentes, & navigantes deſiderari
„eos debere, non plangi, nec accipiendas eſſe hic
„atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba jam
„ſumpſerint: occaſionem dandam non eſſe genti-
„libus, ut nos merito, ac jure reprehendant, quod
„quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos,
„& perditos lugeamus, & fidem, quam ſermone,
„& voce depromimus, cordis, & pectoris teſtimo-
„nio reprobemus. Spei noſtræ, ac fidei prævari-
„catores ſumus, ſimulata, ficta, fucata videntur eſſe,
„quæ dicimus. Nihil prodeſt verbis proferre vir-
„tutem, & factis deſtruere veritatem. Improbat
„denique Apoſtolus Paulus, & objurgat, & cul-
„pat, ſi qui contriſtentur in exceſſu ſuorum: *No-*
„*lumus*, inquit, *ignorare vos fratres de dormientibus,*
„*ut non contriſtemini ſicut & ceteri, qui ſpem non*
„*habent. Si enim credimus, quia Jeſus mortuus eſt,*
„*& reſurrexit, ſic & Deus eos qui dormierunt in Chri-*
„*ſto, adducet cum illo.* Eos contriſtari dicit in ex-
„ceſſu ſuorum, qui ſpem non habent: qui autem
„ſpe vivimus, & in Deum credimus & Chriſtum

„paſſum eſſe pro nobis, & reſurrexiſſe confidimus, „in Chriſto manentes, & per ipſum, atque in ipſo „reſurgentes, quid aut ipſi recedere iſtinc de ſæ„culo nolumus, aut noſtros recedentes quaſi per„ditos plangimus, ac dolemus? ipſo Chriſto Do„mino, ac Deo noſtro monente, & dicente: Ego „ſum reſurrectio: qui credit in me, licet moriatur, „vivet, & omnis qui vivit & credit in me, non „morietur in æternum. Si in Chriſtum credimus, „fidem verbis, & promiſſis ejus habeamus, & non „moriemur in æternum, ad Chriſtum, cum quo „& victuri & regnaturi ſemper ſumus, læta ſecu„ritate veniamus. Quod interim morimur, ad im„mortalitatem morte tranſgredimur, nec poteſt vita „æterna ſuccedere, niſi hinc contigerit exire. Non „eſt exitus, ſed tranſitus, & temporali itinere de„curſo ad æterna tranſgreſſus. Quis non ad me„liora feſtinet? quis non mutari, & reformari ad „Chriſti ſpeciem, & ad cœleſtis gratiæ dignitatem „venire citius exoptet. &c. &c. „

„Porro fratres dilectiſſimi mente integra, fide „firma, virtute robuſta parati ad omnem volunta„tem Dei ſimus; pavore mortis excluſo immorta„litatem quæ ſequitur, cogitemus. Hoc nos oſten„damus eſſe, quod credimus, ut neque charorum „lugeamus exceſſum: & cum accerſitionis propriæ „dies venerit, incunctanter, & libenter ad Domi„num ipſo vocante veniamus. Quod cum ſemper „fuerit faciendum Dei ſervis, nunc fieri multo ma„gis debet corruente jam mundo, & malorum „infeſtantium turbinibus obſeſſo, ut qui cernimus „cæpiſſe jam gravia, & ſcimus imminere graviora, „lucrum maximum computemus, ſi iſtinc velocius „recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetuſta„te nutarent, tecta deſuper tremerent, domus jam „fatigata, jam laſſa, ædificiis ſenectute labentibus „minam proximam minaretur, nonne omni celeri-

„tate

„tate migrares? Si te navigante turbida, & pro„celloſa tempeſtas fluctibus vi venti excitatis, præ„nuntiaret futura naufragia, nonne portum velo„citer peteres? Mundus ecce nutat, & labitur, „& ruinam ſui jam non ſenectute rerum, ſed fine „teſtatur: & tu non Deo gratias agis, non tibi „gratularis, quod exitu maturiore ſubtractus, rui„nis, & naufragiis, & plagis imminentibus exua„ris? conſiderandum eſt fratres dilectiſſimi, & „identidem cogitandum, renuntiaſſe nos mundo, „& tanquam hoſpites, & peregrinos hic interim „degere. Amplectamur diem, qui aſſignat ſingu„los domicilio ſuo, qui nos iſtinc ereptos, & la„queis ſæcularibus exutos paradiſo reſtituit, & re„gno cœleſti. Quis non peregre conſtitutus pro„peret in patriam regredi? quis non ad ſuos navi„gare feſtinans, ventum proſperum cupidius opta„ret, ut velociter charos liceret amplecti? Patriam „noſtram paradiſum computamus, parentes noſtros „Patriarchas habere jam cœpimus, quid non pro„peramus, & currimus, ut patriam noſtram videre, „ut parentes ſalutare poſſimus? magnus illic nos „charorum numerus expectat, parentum, fratrum, „filiorum frequens nos, & copioſa turba deſiderat, „jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de „noſtra incolumitate ſolicita. Ad horum conſpe„ctum, & complexum venire quanta & illis, & „nobis in commune lætitia eſt? qualis illic cœle„ſtium regnorum voluptas ſine timore moriendi, „& cum æternitate vivendi! quam ſumma, & per„petua felicitas! illic apoſtolorum glorioſus cho„rus, illic Prophetarum exultantium numerus, il„lic Martyrum innumerabilis populus ob certami„nis, & paſſionis victoriam coronatus, triumphan„tes illic Virgines, quæ concupiſcentiam carnis, „& corporis continentiæ robore ſubegerunt. Re„munerati miſericordes, qui alimentis, & largitio-

„nibus pauperum juſtitiæ opera fecerunt, qui Do-
„minica præcepta ſervantes ad cœleſtes theſauros
„terrena patrimonia tranſtulerunt. Ad hos fratres
„dilectiſſimi avida cupiditate properemus, ut cum
„his cito eſſe poſſimus; ut cito ad Chriſtum ve-
„nire contingat, optemus. Hanc cogitationem no-
„ſtram Deus videat, hoc propoſitum mentis, &
„fidei Dominus Chriſtus aſpiciat, daturus eis glo-
„riæ ſuæ ampliora præmia, quorum circa ſe fue-
„rint deſideria majora.„

Quam fortia ſunt hæc, quamque efficacia, quæ ſanctus Doctor diſputavit! mira rationum denſitate omnia conſerta vides, & quantum oratio creſcit, tantum robur augeri: neque dubitem, timorem ab illa haud ſecus atque ab Euri flabris nubes diſſipatas.

CAPUT XV.

Specimina Triſtitiæ.

Hujus affectus ſive ciendi, ſive componendi ingens eſt uſus apud Patres. Ut enim utiliſſimum eum docebant, quando ſive ex noſtris, ſive ex aliorum peccatis oritur: ſic noxium ſummopere, & peſtilentem judicarunt, quoties temporalibus, & vanis de rebus conceptus eſt. Ad illum autem eliciendum tanto aptiores fuere, quod excitari a nemine poteſt, qui non ipſe ante perſentiſcat. Neque enim ſolus Poëta ait:

> - - - *Si vis me flere, dolendum eſt*
> *Primum ipſi tibi* - - -

Sed & noſtri idem multoties ſolent inculcare. *Lacrimas*, ait *de Prædicatore* Julianus Pomœrius * *quas vult a ſuis auditoribus fundi, ipſe primitus fundat,*

* *Libr.* I. *de vit. contemplat c.* 23.

dat, & ſic eos compunctione ſui cordis accendat. Et ex Hieronymi ſententia, ſi vel unam lacrimulam viderit populus quidquid poſtea dicatur, verum, imo certiſſimum habet. *Nemo enim mentiens plorat,* ait *Epiſt.* 47. *nunc* 117. *de vitando ſuſp. contubern.*

Præ aliis autem hac in re divus Ephræm excelluit, de quo ita in Laudatione ejus Gregorius Nyſſenus affirmat. „Jam vero diffluentes, ac perpe„tuas ipſius lacrimas referre volenti, vere obori„untur lacrimæ; cum vix absque lacrimis ejus la„crimarum pelagus liceat transfretare. Nam ſicut „cunctis hominibus citra intermiſſionem ſpiritum „ducere eſt proprium, ita beato Ephræm aſſidue „lacrimas profundere natura quodammodo videba„tur inſitum. Nulla quippe dies, nulla nox, nulla „diei noctisque pars, nullum breviſſimi temporis „momentum fuit, in quo non vigiles ipſius oculi „lacrimis conſpicerentur perfuſi. Nunc enim com„munes, nunc privatas, ut ajebat, calamitates, ab„ſurditatesque deplorabat. Suſpiriis porro oculo„rum flumina prudenter inhibebat, aut potius ocu„lorum fluminibus ſuſpiria excitabat. Eratque rei „utriusque progreſſus admirabilis, licet alioquin „utrumque alterius videretur cauſa. Cum enim „tempus illas non auferret, ſed mutua quadam vi„ciſſitudine & lacrimæ ſuſpiria, & ſuſpiria lacri„mas exciperent, alterutrius cauſa latebat. Illud „vero cognoſcet, quisquis ipſius ſcripta evolverit. „Neque enim tantummodo ubi de Pœnitentia, de „Moribus, de rectis vitæ Inſtitutis agit, ipſum „plangentem, ac ſuſpirantem inveniet, verum & „in ipſis laudationibus, quas plerumque omnes „multa aſpergere ſolent hilaritate. Hic vero eun„dem ſe ubique præbuit, aſſidueque lugendi mu„nus ut divitias expetivit. Unde & nunc fere „cunctos ipſius ſermonum auditores ad veram am„plectendam vitam revocat; tantam ipſius mixta

„lacrimis vim continet oratio &c.„ Quæ *Libro primo Diſſertatione tertia cap.* 3. recitavimus. Inde fructus ille admirandus, quod novus hic Jeremias Deo dante ſic diceret, ut innumeros mortales a vitiis, & peſtifera illa ſecuritate revocaret. Nam & hæreticos in ruborem dedit, & afflictos ſolatus eſt, & obſtinatiſſimos quosque, quorum ſaxea plane corda erant, emollivit, & agmina pœnitentium poſt ſe traxit, dux illis, & auctor ad omnem ſanctitatem futurus. Itaque hoc affectu valde juvit rem Chriſtianam, plus ipſis Epiſcopis cultus, imo in omnium admiratione verſatus, & famam, ubicunque ſol lucet, quam maximam inde conſecutus. Certe Threni ejus multis in Eccleſiis poſt ſcripturas lecti; & viri ſanctiſſimi Iſaac Syrus, Nilus, Eſaias, Dorotheus eos imitati ſunt: denique præcipuos Patres, ac Hiſtoricos Baſilium, Nyſſenum, Chryſoſtomum, Hieronymum, Theodoretum, Palladium, Sozomenum præcones nactus eſt *, & hodieque lectio ejus nunquam ſine fructu ſuſcipitur, plus movens eloquentiſſimis ſive aſcetis, ſive oratoribus, quorum apud nos ſcripta celebrantur.

Hic ergo, ubi cum peccatoribus res eſt, ſectandus nobis; quod uti ipſe monet, ad oſtendendum eorum calamitatem, qui divinis donis exciderunt, potius luctus & lacrimæ, quam longi diſertique ſermones adhibendi ſunt. Imo & innocentibus ſæpe Triſtitiam Patres commendant, & de alienis malis flere jubent, quos propria defecerint. Certe probi omnes ſuaviſſime eo affectu afficiuntur. Unde Bernardus *ſerm.* 59. *in Cantica: Illius*, ait, *Doctoris libenter audio vocem qui non ſibi plauſum, ſed mihi planctum moveat.* Pœnitentibus autem ſummopere eam inculcant, ne ſcilicet facinorum memoriam ac pœnitudinem deponant ali-

quan-

* Plura de S. Ephræm dedimus *Libr.* 1.

quando, & quæſtu, atque utilitate ſumma ſeſe ipſi exſpolient. Pœnitentium quippe lacrimas Baſilius *cœli margaritas*, Bernardus *vinum angelorum* dicit, Auguſtinus vero *jucundiores gaudiis Theatrorum* affirmat.

Porro argumenta, quibus Triſtitiam cient, ſunt *offenſa Dei*, *jactura innocentiæ*, *gratiæ*, *meritorum*. Item *injuriæ*, *& damna proximo illata*, *data ſcandala*, *religio* & *virtus* peſſumdata, *pœnæ* demum, aut jam toleratæ, aut impoſterum imminentes.

Nihilominus triſtitiám, ut ſupra indicavimus, ſæpiſſime temperant, atque abſtergunt; præſertim cum de jactura opum, famæ, deliciarum, amicorum, canſanguineorum, de moleſtiis, & afflictionibus diuturnis, aut gravibus, de fruſtratis remediis, verbo de quibuscunque ſeu noſtris, ſeu noſtrorum adverſis rebus ſermonem habent. Quod dum faciunt, vel oſtendunt omnes habere quod doleant; neminemque rebus triſtibus immunem; vel negant vera mala eſſe, quæ patimur, vel a Deo venire aſſerunt, amorem erga nos ſuum declarante; vel delere nos ea ratione peccata dicunt, ſummamque & conſolationem & mercedem in illis repoſitam habere; vel denique triſtitiam inutilem docent, imo noxiam ſummopere, quæ iram, ignaviam, aliaque ſcelera, imo ipſam paulatim deſperationem inducat.

Specimina ſunt non tot, quin plura, & quidem triſtitiam moderatam, ac ſalutarem promovent præter S. Ephræmum Tertullianus *Libr. de pœnitentia*: S. Cyprianus *ſerm. de Lapſis*: S. Pacianus *Paræneſi ad pœnitentiam*: S. Baſilius *homil de fame & ſiccitate*: S. Chryſoſtomus *Libris de compunctione cordis*, & *Paræneſi* 1. *ad Theodorum lapſum*: S. Ambroſius *Libro de obitu fratris*; & in eodem argumento S. Bernardus *ſerm.* 26. *in Cantica*, ubi uterque totum pectus laxat triſtitiæ. Triſtitiam cohibent

hibent, & reprimunt S Cyprianus eodem *ſermone de lapſis:* Chryſoſtomus in *Libris de Providentia;* in *Epiſtolis ad Olympiadem*, & *Tractat.* 1. *ad viduam juniorem*; in *Declamatione: Quod nemo læditur, niſi a ſe ipſo;* in *homiliis* 4. 5. 6. 7. 11. 15. 16. *ad populum; homil.* 1. *in* 2. *ad Timotheum* &c. Hieronymus quoque triumphat in hoc argumento *epiſt.* 3. *nunc* 60. *ad Heliodorum:* 25. *nunc* 39. *ad Paulam, de obitu Bleſillæ:* 33. *nunc.* 68. *ad Abigarum, & Caſtrutium:* 26. *nunc* 66. *ad Pammachium, de morte uxoris:* 34. *nunc* 118. *ad Julianum, in adverſis.* Mirus etiam in triſtitia tractanda artifex Baſilius, eminet autem *Epiſtolis* 5. 6. 269. & 300. *novis.* Sed & plures ex eo locos in unam orationem 24. collegit Simon Magiſter.

Hæc qui legerit, nihil jam in eo genere profanos morabitur, qui omnes ab Hieronymo * citati, nihil tale habent, utpote fortiſſimis iis argumentis, & rationibus Chriſtianis penitus deſtituti. Illud vero in his ſpeciminibus notaſſe non pœnitebit, quod præſertim cum recens eſt dolor, jam augent mœrorem, jam tollunt, ſic enim neceſſe eſt fieri, ut laxato ſinu, cum ſenſus rei ad ſummum venerit, haud ſecus, atque in rupto ulcere emplaſtrum felicius applicetur.

Sed licet ſpecimina plura indicata jam ſunt, nihilominus in gratiam eorum, qui libris carent, quædam abſcribere placuit.

Triſtitiam ita animis expellit Chryſoſtomus *homil.* 32. *nunc* 31. *in Matthæum*, loquens de filia archiſynagogi ſuſcitata, tibiisque, ac cetero funebri apparatu amandatis.

„Illud præterea diſcas, ipſum lugentes extra „domum ejeciſſe, atque velut indignos tali ſpe„ctaculo declaraſſe. Tu vero ne exeas cum tibi-
„cini-

* *Epiſtola* paulo ante laudata *ad Heliodorum.*

„cinibus, ſed mane cum Petro, Joanne, & Jacobo. „Nam ſi tunc illos foras ejecit, multo magis nunc „id faciat. Tunc enim nondum palam erat, mor„tem jam ſomnum eſſe factam: nunc autem ipſo „ſole clarius eſt. At nunc non filiam tuam ſuſci„tavit? ſed ſuſcitabit illam cum majore gloria. „Illa enim, quæ ſurrexit, iterum mortua eſt: tua „vero cum ſurrexit, manebit immortalis. Nemo „itaque deinceps lugeat, neque lamentetur, neque „hoc Chriſti opus calumnietur. Vicit enim ille „mortem. Quid ergo fruſtra ploras? mors ſomnus „effecta eſt. Quid lamentaris, & luges? illud „enim ſi gentiles facerent, irridendi eſſent: cum „autem fidelis hoc turpiter fecerit, quam habebit „excuſationem? quæ venia erit hæc inſipienter agen„tibus poſt tantum temporis & claram reſurrecti„onis probationem? Tu vero, ac ſi ſtudeas hoc „peccatum amplificare, præficas nobis gentiles ad„ducis, luctum excitans, & fornacem incendens; „nec audis Paulum dicentem: Quæ ſocietas Chri„ſti cum Belial? aut quæ portio fidelis cum infi„deli? Certe gentiles, qui nihil de reſurrectione „ſciunt, conſolandi tamen rationes inveniunt, di„centes: fortiter feras; neque poteris id, quod fa„ctum eſt, infectum reddere, vel lamentis rem „mutare. Tu vero, qui ſublimioris, utilioriſque „Philoſophiæ præcepta audis, non erubeſcis tur„piora, quam illi agens? Neque enim dicimus nos: „fortiter feras; non poſſumus enim, quod factum „eſt, infectum reddere: Sed: fortiter feras; nam „omnino reſurget; dormit enim puella, non mor„tua eſt: quieſcit, nec periit. Illam excipiet re„ſurrectio, vita ſempiterna, immortalitas, ſors an„gelica. Non audis pſalmum dicentem: *convertere „anima mea in requiem tuam; quia Dominus beneſe„cit tibi.* Deus mortem beneficium vocat, & tu „luges? Et quid amplius faceres, ſi defuncti inimi-

„cus

„cus & hoſtis eſſes? Si lugendum, diabolo lugen-
„dum eſt. Ille lugeat, ille lamentetur; quia ad
„majora bona pergimus. Illius nequitia digna eſt
„hujusmodi lamentatione, ſecus tu, qui ad coronam,
„& requiem vocaris. Nam portus tranquillus mors
„eſt. Perpende igitur, quot malis plena ſit vita
„præſens: cogita quoties ipſi maledixeris. Nam in
„pejus ſemper res vertuntur, atque a pincipio non
„modicam damnationem ſortitus es. *In doloribus*,
„inquit, *paries filios*: Et: *in ſudore vultus tui come-*
„*des panem tuum*: Et: *in mundo tribulationem habe-*
„*bitis*. At de futuris rebus nihil hujusmodi dici-
„tur, imo contrarium prorſus: *Effugit dolor, tri-*
„*ſtitia, & gemitus*: Et: *ab oriente & occidente veni-*
„*ent, & recumbent in ſinu Abrahæ, & Iſaac, &*
„*Jacob*: & illic ſponſus ſpiritualis, lucernæ fulgi-
„dæ, translatio in cœlum. Cur ergo mortuum
„deturpas? cur aliis timorem, tremoremque mor-
„tis accerſis? cur occaſionem multis præbes incu-
„ſandi Deum, utpote, qui magna fecerit mala?
„Imo vero cur poſtea pauperes vocas, & Sacer-
„dotes rogas ad precandum! ut in requiem abeat,
„inquies, is qui mortuus eſt, ut propitium habeat
„Judicem. Ea igitur de cauſa ploras, & ingemi-
„ſcis? ergo tecum ipſe pugnas, cum illi tempe-
„ſtates paras, qui ad portum abiit. Et quid faciam,
„inquies? id natura exigit. Non eſt naturæ cul-
„pa, neque rerum ſeriei, ſed nos, qui omnia ſus
„deque vertimus, molles nimium ſumus, noſtram
„prodimus nobilitatem, & infideles deteriores fa-
„cimus. Quomodo enim cum alio de immortali-
„tate diſſeremus? Qua ratione gentilem ad illam
„credendam inducemus, cum magis, quam ille
„mortem horreamus, & timeamus? Multi certe
„ex gentilibus, qui immortalitatem non credebant,
„mortuis filiis, impoſita ſibi corona, veſtem can-
„didam induerunt, ut præſentem gloriam aucupa-
„rentur.

„rentur. Tu vero ne ob futuram quidem gloriam „ceſſas effœminato more lamentari, & plangere. „Sed hæredem non habes, neque ſucceſſorem? Quid „vero malis, bonorum tuorum hæredem eſſe, an „cœlorum? Quid malis, an ut ille tua excipiat „bona, quæ brevi relinquenda erunt, an manentia „æternaque bona? Illum hæredem non habuiſti? „ſed habuit Deus. Non fuit cohæres fratrum ſuo„rum? ſed fuit Chriſti. Et cui veſtes, inquies, „cui ædes, cui ſervos, & agros relinquemus? ipſi „profecto: & ſic tutius repones, quam ſi viveret; „nihil quippe te impedit. Nam ſi barbari unacum „defunctis res ipſorum cremare ſolent, multo ma„gis te par eſt ad defunctum mittere ea, quæ ad „ipſum pertinent, non ut in cinerem reducantur, „ſicut illa, ſed ut majorem illi gloriam pariant, „& ſi peccator deceſſit, ut peccata eluantur: ſi ju„ſtus, ut illi mercedis, ac retributionis augmen„tum accedat. At videre ipſum deſideras? Ean„dem igitur quam ipſe vitam tranſige, & cito illa „ſacra viſione frueris. Illud etiam cogita, te ſi „nos audieris, in futuro id omnino experturum „eſſe. Verum nulla tibi merces erit: nam a tem„poris diuturnitate, conſolatio illa tibi accedet. „Si porro nunc philoſophari volueris, duo præ„cipua lucraberis: te quippe a malis circumſtanti„bus erues, & ſplendidiore corona a Deo donabe„ris. Eleemoſynam enim, multasque alias virtutes „ſuperat calamitatum tolerantia. Cogita, ipſum „Dei filium mortuum eſſe. Ille pro te mortuus „eſt: tu pro te ipſo: Dixit autem: *ſi poſſibile eſt,* „*tranſeat a me calix iſte.* Ac triſtitia, mæroreque „affectus mortem non effugit, ſed etiam plurimis „tortus cruciatibus, mortem ſubiit non vulgarem, „ſed omnium turpiſſimam; & ante mortem flagel„la, ante flagella vero convitia, deriſiones, contu„melias, te inſtituens ad omnia fortiter ferenda.

„Sed

„Sed poſt mortem, poſtquam corpus depoſuerat, „illud cum majore gloria reſumpſit, teque bona „ſpe fulcit. Hæc ſi non fabula ſunt, ne plores. „Hæc ſi credibilia putas, ne lacrimeris. Si vero „fleveris, quomodo poteris gentilibus perſuadere „te vere credere? At tibi adhuc intolerabilis ca„ſus ille videtur? ergo non lugendus ideo ille eſt, „qui a tot calamitatibus jam eſt liber? Ne itaque „ipſi invideas. Nam tibi ob immaturum ejus obi„tum mortem optare, lugereque, quia non vivit, „ut talia multa patiatur, invidi certe eſt. Noli „ergo cogitare ipſum nunquam domum eſſe redi„turum, ſed te brevi ad illum eſſe migraturum. „Ne cogites ipſum non ultra huc eſſe venturum: „ſed cogita hæc viſibilia non ita ut ſunt, manſura, „ſed transformanda eſſe. Nam cœlum, terra, „mare, & omnia transmutantur, tuncque omnia „cum majore gloria accipiet filius tuus. Et ſi „quidem peccator abiit nequitiæ curſus interceptus „fuit; neque enim, ſi mutandum illum fore Deus „prævidiſſet, illum ante pœnitentiam abripuiſſet: „Si vero juſtus deceſſit, in tuto bona ſua poſſi„det, unde manifeſtum eſt, lacrimas tuas non eſ„ſe lacrimas amoris, ſed irrationabiles affectus. Nam „ſi defunctum amares, gaudere oporteret, & læ„tari, quod a præſentibus fluctibus ſit ereptus. „Quid enim amplius quæſo videre eſt? quid inſo„litum, & novum? nonne eadem ipſa quotidie „revolvi videmus? Diem nox excipit, noctem „dies, hiemem æſtas, æſtatem hiems, & nihil am„plius. Et hæc quidem ſemper eadem, mala vero „ſemper inſolita, & nova. Hæc ergo volebas il„lum quotidie haurire, & hic manere, ægrotare, „lugere, timere, tremere, & alia mala pati, alia „formidare? Neque enim dicere auſis, potuiſſe il„lum longum hoc pelagus trajicientem mœrori„bus, ſolicitudinibusque vacuum eſſe. Ad hæc, „per-

„perpende, te non genuiſſe immortalem, ac ſi non „jam mortuus eſſet, paulo poſtea moriturum fuiſſe. „At non ſatiatus eras illius conſuetudine? Sed ibi „ſemper illo frueris. At velles hic ipſum videre. „Et quid vetat? licet tibi illum videre, ſi ſapias. „Spes enim futurorum ipſo viſu clarior eſt. Tu „vero, ſi in regia eſſet, ibique floreret, non quæ„ſiſſes, illum videre: ac cum ad longe meliorem „ſortem abierit, propter parvum abſentiæ tempus „animo deficis? cum maxime conſortem tecum ha„beas? Sed virum non habes. At conſolatorem ha„bes patrem orphanorum, & judicem viduarum. „Audi Paulum hanc viduitatem beatam prædicantem, „ac dicentem: *Quæ autem vere vidua eſt, & ſolita„ria, ſperavit in Domino.* Etenim hæc probatior „erit, quæ majorem exhibuerit patientiam. Noli „igitur lugere de ea re, quæ tibi coronam parat, „de qua mercedem poſtulas: reddidiſti enim de„poſitum, ſi id, quod tibi creditum erat, exhi„buiſti. Ne ſis ergo ſolicita, ſi in theſauro invi„olabili, quod poſſidebas, depoſuiſti. Si porro „didiceris, quæ ſit præſens vita, quæ futura, quod„que hæc ſit aranea, & umbra, omnia vero, quæ „in illa ſunt, immota, immortaliaque, non alio „egebis ſermone. Nunc enim filius tuus ab omni „mutatione ereptus eſt. Si autem hic manſiſſet, „forte bonus, forte malus futurus erat. At non „vides, quot homines filios ſuos abdicant, & quot „pejores abdicatis coguntur domi retinere? Hæc „itaque in mente verſantes philoſophemur. Ita enim „& defuncto grati erimus, & apud homines mul„tis laudibus fruemur, atque a Deo magnam pa„tientiæ mercedem referemus, æternaque bona con„ſequemur, quæ utinam nos omnes adipiſcamur „gratia, & benignitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, „cui gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. „Amen. „

Minime mirabitur prudens Lector, quod Gisbertus *cap.* 6. hunc locum commendet, & tantum non in cœlum laudibus vehat. Sed neque *epiſt.* 6. *novam* Baſilii *alias* 189. *ad conjugem Nectarii* omittere poſſumus, ubi dolorem lectiſſimæ fœminæ initio, quantum poteſt, exaggerat, ut ſic velut elicito pure morbum totum expellat, ac perſanet. Sic vero habet.

„Nolebam alloqui dignitatem tuam, conſide„rans ut oculo inflammato lenimentum vel tener„rimum dolorem affert, ita animæ, gravi mœrore „afflictæ, etiamſi multum ſolatii ferat oratio, mo„leſtam tamen quodammodo videri, in ipſo dolo„ris articulo adhibitam. At ubi mihi in mentem „venit, ſermonem mihi cum Chriſtiana futurum, „jam pridem in rebus divinis inſtituta, nec ad hu„manos caſus imparata, non exiſtimavi æquum eſſe, „ut officio meo deeſſem. Novi qualia ſint matrum „viſcera, cumque peculiariter conſidero tuam in „omnes benignitatem, atque manſuetudinem, con„jicio, quantum probabile ſit, in præſentibus ma„lis dolorem eſſe. Filium amiſiſti, quem viven„tem matres omnes prædicabant beatum, talesque „ſuos eſſe optabant: mortuum vero perinde luxe„runt, ac ſi ſuum quæque humo contexiſſet. Il„lius mors plaga extitit provinciarum duarum, & „noſtræ & Cilicum. Cum illo magnum & illu„ſtre genus concidit, veluti fulcro ſublato concuſ„ſum. O incurſum mali dæmonis, quantum po„tuit mali patrare! o terra talem coacta ſuſcipere „caſum! horruit forte ipſe ſol, ſi quis in eo ſen„ſus, triſte illud ſpectaculum, & quis tantum di„cere poterit, quantum inops conſilii animus ſug„gerit? Verum noſtra non fiunt citra providen„tiam, quemadmodum in Evangelio didicimus, „ne paſſerem quidem cadere ſine voluntate Patris „noſtri. Quare ſi quid contigit, voluntate conti-

„git

„git Conditoris noſtri. Quis autem Dei voluntati „reſiſtit? Suſcipiamus, quod accidit; moleſte enim „ferentes, neque id quod factum eſt, reparamus, „ac præterea nosmetipſos perdimus. Ne culpemus „juſtum Dei judicium. Nimium imperiti ſumus, „quam ut arcana illius judicia exploremus. Nunc „Dominus amoris in ſe tui periculum facit. Ti„bi nunc tempus eſt, ut per patientiam partem „Martyrum conſequare. Machabæorum mater ſep„tem filiorum mortem conſpexit, nec ingemuit, „nec ignobiles lacrimas effudit ſed gratias agens „Deo, quod videret eos igne, & ferro, & acer„biſſimis verberibus e vinculis carnis exſolvi, Deo „quidem probata fuit, celebris vero habita eſt „apud homines. Afflictio magna, fateor & ego; „ſed & magna a Domino præmia patientibus repo„ſita. Mater cum effecta es, puerumque vidiſti, „ac gratias egiſti Deo, plane ſciebas mortalem a „te, cum mortalis ſis, genitum eſſe. Quid igitur „mirum, ſi mortuus eſt mortalis. Sed dolet no„bis, quod præter tempus? incertum, utrum hoc „non fuerit tempeſtivum; nos ſiquidem eligere „quæ animabus utilia ſunt; & præfinire terminos „humanæ vitæ non novimus. Circumſpice totum „terrarum orbem, in quo habitas, & cogita om„nia mortalia eſſe, quæ videntur, omnia corrup„tioni obnoxia. Reſpice ad cœlum, & illud ipſum „aliquando diſſolvetur. Ad ſolem, ne ille quidem „permanebit. Stellæ omnes, animalia terreſtria, „& aquatilia, terræ ornatus, terra ipſa, omnia „corruptioni obnoxia, omnia paulo poſt non am„plius futura. Horum cogitatio ſit caſus ſolatium. „Cave calamitatem ſe ipſa metiaris; ita enim tibi „videbitur intolerabilis, ſed eam cum omnibus re„bus humanis comparans, inde reperies illius ſo„latium. His autem omnibus illud validiſſimum „addendum habeo; parce marito, alter alteri ſola-

„men eſtote. Ne facias ei graviorem calamitatem, „dolore te ipſa conficiens. Omnino autem arbi„tror ſermonem ſolatio imparem eſſe; ſed precibus „in re præſenti opus eſſe cenſeo. Precor itaque „ipſum Dominum, ut ſua non enarrabili potentia „tangens cor tuum, cogitationibus bonis animum „tuum illuſtret, ut in te ipſa conſolationis habeas „argumenta. „

Cetera doloris lenimina vide in inſigni Epiſtola ad ipſummet Nectarium, quæ hanc proxime præcedit.

Præclare etiam, & fuſe ſuos ſolatur Bernardus, ne tam longis laboribus & pœnitentiis, quas ſupereſſe ſibi putabant reliquis vitæ diebus, conciperent mœrorem, animumque deſponderent. Locus habetur *ſermone de nimia quadam fallacia præſentis vitæ.*

Hæc de affectibus fuſe equidem, ſed non ſine conſilio, ac diligentia dicta ſunt. Eant nunc Græculi noſtri, & patheticum porro apud PP. deſiderent!

Finis Libri VIII. *de Eloquentia Patrum.*

DE

Digitized by Google

DE
ELOQUENTIA PATRUM
LIBER IX.

Praxin docet, Patribus ad Oratoriam ſacram rite utendi.

DISSERTATIO I.
De Ratione Patres *legendi.*

1. Iſtud de Lectione capitulum non tam obiter tracto, quam multis videri poſſit; quod inde, ſi non omnia, certe quam plurima in inſtituto illo noſtro dependent. Non eſt autem hujus loci Lectionem ipſam generatim commendare; de qua ſatis ſit dicere, quod nos non juvet ſolum, quemadmodum multa alia, verum ita juvet, ut reficiat ſimul. *Alit Lectio ingenium,* ait Seneca *, & *ſtudio fatigatum non ſine ſtudio tamen reficit.* Porro de noſtra, quæ in Patribus verſatur, Lectione multo magis ſuperfluum hic fuerit commemorare. Jam enim in operis fronte indicavi, eo libros hos omnes collimare, uti Eccleſiaſticis, præcipue iis, qui animarum curam gerunt, vel nunc tandem occupatio iſta perſuadeatur. Unicam adſcribo Pauli Turchii Dominicani ſapientiſſimam obſervationem. Hic Euthymium *in Pſalmos* Clementi VII. nuncupans, cum, de Scriptoribus Canonicis primo dixiſſet, continuo ad Patres delapſus, illud ſubjungit: „A quibus non longe abſunt alii quam plu„rimi, qui eodem edocti ſpiritu, quæ per illos tra-

* *Epiſtola* 84.

„dita ſunt, pro hominis captu intellecta, ut aliis „quoque eſſent pervia, ſuo ingenio, & laboribus „effecere; ceu Dionyſius, Athanaſius, Baſilius, Chry-„ſoſtomus, multique alii, qui vitæ, ac morum „ſanctitate inſignes, & incomparabiles, doctrina „conſpicui, eximiis actionibus, eruditiſſimis libris „a ſe conſcriptis Chriſtianam rempublicam illu-„ſtrarunt. A quorum Lectione ceſſaſſe, & moni-„tis receſſiſſe malorum omnium occaſio nobis fuit. „Hinc enim innumeri errores, & hæreſes: hinc „vitæ neglectus, contemptus virtutum, vitiorum „tyrannis initium pariter, & incrementum ſump-„ſere. Quis enim horum Lectioni attentius vacans „in fide recta, ac pietate non proficiat, animum „colat, charitatem proſequatur, miſericordiam, li-„beralitatem, juſtitiam, ceteraſque virtutes: ava-„ritiam vero, invidiam, luxuriam, iracundiam, „alioſque hujusmodi animi morbos multo magis „quam ſerpentes, ac mortem fugiat? Quo fit, ut „credam, nihil utilius Chriſtianæ reipublicæ afferri „poſſe, quam ut ii nobis reddantur, per quos „olim Dei Eccleſia etiam inter acerrimos adverſa-„rios pietatis doctrina, vitæ meritis, & numero „creviſſe dignoſcitur. Quod ſane utinam attende-„rent multi noſtrorum temporum, qui hoc officio „commodius fungi poſſent: mallentque horum ver-„tendo libros publicæ utilitati conſulere, quam „propria temere effundendo privatæ gloriæ deſer-„vire!„ Ita ille, edi, vertique volens Patres, quo fere ſoli, certe præ ceteris omnibus iſti deinceps legerentur. Igitur hic ſolum dicemus, *quomodo* legendi Patres ſint. Non quidem ita, ut oſten-datur, quæ cuique ſive Juris conſulto, ſive Theo-logo, ſive Critico, ſive Aſcetæ tenenda ſit ratio in Patrum operibus evolvendis. Habent iſti Natalem Argonenſem; qui tamen & ipſe multo id accura-tius poterat præſtare, quam fecit. Verum in elo-

quentia

quentia unice ſiſtimus, quam idem auctor tam negligenter, tam jejune *Capite illo XV.* * complexus eſt, ut pæne dixerim omnino dimittere argumentum ſatius fuiſſet. Quam ergo viam, ain noſtris Rhetoribus aperis ad monumenta Patrum percurrenda? Reſpondeo nihil hæſitans, eſſe leges quasdam non multas, verum tales, a quibus vel nunquam, vel juſta ſolum, gravique de cauſa ſit recedendum. Et has ipſas juvante Deo jam nunc repræſento.

CAPUT I.

Leges legendorum Patrum generales.

LEX I.

2. Antea, quam ad Patrem aliquem legendum accedis, noſſe te volo *primo* ætatem, geſtas res, genium, ac ſtylum ejus. *Secundo* Indicem operum commentitiorum. *Tertio* Finem, quam in qualibet ſcriptione propoſitum habuit. Sed vel ipſum tempus requirendum, quo ſive aggredi eam cœpit, ſive ad exitum perduxit. Neque enim infrequens eſt apud Scriptores, uti mutent ſententias ſuas retractentque ea in ſequentibus, quæ prioribus in libris, re tum minus cognita, incautius forte aſſeruerunt. Atque hæc ut ſint gravia, & neceſſaria, nihil tamen negotii faceſſent ei, qui optimam cujusque Patris editionem ad manus habet. Ibi enim ſimul omnia iſta, & plerumque ipſo in limine deprehendet.

LEX II.

3. Secundo loco illud eſt cogitandum, uti Patres non tam curemus magno numero, quam magno

* *Par tis IV. de optima Methodo legendi Eccleſiæ Patres*

gno delectu legere. Illud enim hominem totum occuparet, habendiſque concionibus potius inutilem, quam idoneum redderet. Neque tam demens ſum, ut putem ab Eccleſiaſtico, tot rebus aliis diſtento, omnia eorum abſolvi legendo poſſe, ne dum ordine, atque utiliter legendo. Jactura temporis ubique ſpectanda, ut quæ non eſt alienæ rei, ſed vitæ noſtræ. Hæc autem vita, quod arctior ſit in dies, ſpatioque breviori extenditur, fieri ſane perquam facile poteſt, ut vix totidem ſuperſint anni ad quiete perfruendum, quot ad excerpendum, comportandumque inſumpti fuerunt. Quemadmodum ergo Titus Livius filio auctor fuit, uti Demoſthenem, ac Ciceronem, optimum nempe Græcorum, optimum Latinorum legeret; * ita nos ex Græcis Latiniſque Patribus eos eligamus, qui fuerunt duces reliquorum: atque apud hos ipſos non obvia quæcunque, ſed duntaxat præſtantiſſima conſectemur. Profecto enim & apud nos debet valere, quod Plinius *Libro VII. epiſt.* 9. de Lectione profanorum animadvertit. *Tu memineris*, ait, *ſui cujusque generis auctores diligenter eligere. Ajunt enim multum legendum eſſe, non multa.* In quam ſententiam loco paulo ante laudato Quintilianus quoque pronuntiavit. Sufficiunt illi Patres, quorum ſuperius & eloquentia eſt præ aliis laudata, & opera ipſa ſelectiora magno quidem, ſed ut ſpes eſt, haud irrito labore ſunt dijudicata. Macros dimittamus, contenti pingujoribus. Nam etſi non ſine cauſa vel ſteriles libellos quidam terunt, nec parum inde capiunt voluptatis, ubi quidem ſeu grandius aliquid, ſeu ſplendidius licet eruere; tamen quod poſſit paucioribus præſtari, non eſt pluribus & improbo labore efficiendum. Sic & qui aquas ſunt hauſturi, non ciſternas, non rivulos, ſed plenos fontes,

* Apud Quintilianum *Libro X. Inſtitut. cap.* 1.

fontes, præſertim juxta poſitos accedunt: Et metallorum foſſores eas ut plurimum venas perſequuntur, quæ ſint ceteris ditiores; ubi quidem operæ pretium ſperatur, & fructus ſive æquat laborem, ſive etiam exſuperat.

Lex III.

4. Lex tertia eſt, ut in legendo, præſertim quod *ſtylum*, quod *figuras*, quod *affectus* ſpectet, ſuum quilibet genium, ſuam facultatem norit. Sic enim certius ſeponet omnia, quæ maxime ad uſum ſibi ſperat eſſe factura. Simile, quod ajunt, ſimili alitur: & quemadmodum in cibis, ita in animi pabulo præ ceteris fere nutriunt, quæ jucunda præ ceteris optataque nobis eſſe conſueverunt. Sic tenuiores tenuem, copioſiores copioſum, ardentiores ardentem, leniores lenem aliquem Patrem capiant; nam qui ſint ejusmodi, jam fuit Libro ſecundo, & tertio de induſtria capitibus integris pertractatum. Unum moneo, ne id genus, in quod natura fertur, ita ſectere, ut jam non prævaleat ſolum, verum etiam dominetur. Quod ubi contingeret, damnum utique graviſſimum ferres; quando qui vergit ad extremum aliquod, altero, cum eo opus fuerit, plane deficiat oportet. Temperamentum ergo ſalubre fiat, atque ita genio detur locus, ut tamen nec rationi aliquando, nec legibus varietatis præcludatur.

Lex IV.

5. Quarto quiete, commodeque legendum eſt, ita quidem ut uni eidemque inſiſtas operi, dum abſolveris totum, & quidquid in eo eſt pretioſius, ſecreveris probe, atque in uſus quodammodo tuos converteris. A divo Thoma Aquinate crebo ferunt uſurpatum *unius libri ſe lectorem pertimeſcere.* Quo ille dicto, ut quidem ego autumo, non iſtuc ſignificavit,

ſicavit, eſſe quam parciſſime, aut fere nihil legendum; ſed ſic immorandum Auctoribus ſingulis, ut non ſimul cum aliis, ſed ſeorſim, ſed collecto, liberoque animo legantur. Certe S. Doctor non paucos, verum multos, imo quam plurimos Patres ipſe legit. Secus ad celebritatem, quam habet, tam parum erat perventurus, ac e contrario illi perveniunt, qui cum legant, perpetuo nunquam id moderate, quiete nunquam faciunt homines variæ ſcilicet, non item multæ lectionis. Ne ergo hodie hunc, cras illum arripe codicem. Faſtidioſorum id eſt, ac obiter omnia, fruſtraque facientium; qui cum de omnibus ſciant aliquid, totum nihil noverunt. Præſertim vero junioribus id dictum eſto. Hi enim, ne ſimilitudinem ſemel aſſumptam nunc dimittamus, infirmiore adhuc ſtomacho, nec concoquendis una pluribus pares ſunt. Quare integrum non dico Auctorem, ſed librum ejus aliquem evolvant, atque, ut habet proverbium, a carceribus ad metas usque cœpta lectio decurrat. Sit ſane, ſpinoſa occurrere: ne tranſiliant, ne prætervehantur, Eſt aliquid totum vidiſſe: & fors eo ipſo in loco inveniant licet, quod quam maxime faciat ad fructum. Taceo illud, quod, niſi legant univerſa, nec res ſingulas, nec nexum, ſeriemque ſcriptorum percipere facile, minus autem fideliter retinere poſſint. Incertus ſemper hæret animus, num quid ſit alicubi omiſſum, nec raro dolet, damnatque mancam adeo, & inconſideratam lectionem *. Plurimum autem a re ea diſcriminis ipſo initio legendi; ubi, Patrum veluti liberum campum nacti vagabimur ſcilicet, non progrediemur. Quam multo eſt ſatius tarde, & temperate, quam ardenter & tumultuarie ad ſcriptiones tam varias,

* Vide etiam Quintilianum *eodem* rurſus *loco*, ubi hoc maxime in lectione oratorum requirit.

varias, tamque diſparatas accedere? Elegans divi Bernardi, aut potius diſcipuli ejus Guilielmi ſententia eſt * qua aſcetas Carthuſiæ ita inſtituit ad legendum: *Certis horis certæ lectioni vacandum eſt. Fortuita enim, & varia lectio & quaſi caſu reperta non ædificat; ſed reddit animam inſtabilem, & leviter admiſſa levius recedit a memoria.* Quod ne putes de lectione aſcetica duntaxat dici, age ipſos adeo ſcriptores profanos interrogemus. Idem uno ore omnes affirmabunt. Et Seneca quidem, cujus multa nobis quadrant, quamprimum a Philoſophia, uti facillime poſſunt, ad Religionem transferuntur, ita hac ſuper re *Epiſtola ſecunda* explicavit mentem ſuam. Illud *vide, ne iſta lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum, & inſtabile. Certis ingeniis immorari, & innutiri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui ubique eſt.* Affert dein inter alia ſimile non inelegans, petitum à cibis, uti nos ipſi ſupra fecimus, docetque quemadmodum ciborum congeriem illam ac varietatem minus ſalubrem corporibus aſſererent Medici, ſic judicio ſapientium varios libros, & inconſtantiam legendi quam plurimum detrimenti ingeniis afferre. *Faſtidientis ſtomachi eſt,* inquit, *multa deguſtare; quæ ubi varia ſunt, & diverſa, inquinant, non alunt.* Non minus fortiter *Epiſtola* 45: *Non refert*, ait, *quam multos, ſed quam bonos* (libros) *habeas. Lectio certa prodeſt, varia delectat. Qui quo deſtinavit, pervenire vult, unam ſequatur viam, non per multas vagetur. Non ire iſtud, ſed errare eſt.* Rurſum *Epiſtola* 108: *Illud tamen prius ſcribam, quemadmodum tibi iſta cupiditas diſcendi, qua flagrare te video, dirigenda ſit; ne ipſa ſe impediat. Nec paſſim carpenda ſunt, nec avide invadenda univerſa. Per partes*

---

* *Ad fratres de Monte Dei.*

tes pervenitur ad totum. Aptari onus viribus debet, nec plus occupari, quam cui ſufficere poſſumus. Non quantum vis; ſed quantum capis, hauriendum eſt. Denique *Libro de Tranquillitate animi cap.* 9. *Studiorum quoque, quæ liberaliſſima impenſa eſt, tamdiu rationem habebo, quamdiu modum. Quo mihi innumerabiles libros, & bibliothecas? ... Onerat diſcentem turba, non inſtruit, multoque ſatius eſt paucis te auctoribus tradere quam errare per multos.* Accedit Polybius, qui & ipſe *Libro* 3. helluones librorum catillonibus comparat, & convivis gulæ deditis. Hos enim, inquit, appoſitas dapes varie & carptim libantes tantum abeſſe, ut fructum, aut alimoniam ferant impoſterum, ut nec in præſentia capiant ſolidam voluptatem. Eadem ſimilitudine uſus eſt Epictetus *apud Arrianum Diſſertat* 1. *cap.* 26. Notiſſimum item, quod refert de Ariſtippo Diogenes Laërtius *. Hic glorianti cuidam de eruditione, quam legendo varia uberrimam collegiſſet, iſtuc repoſuit, oppido prudens, ac ſalutare: Sicuti non hi, qui quam plurima comedunt, recte valerent, ita non qui quam plurima legunt, ſed qui utilia, ſtudioſos, atque eruditos habendos.

Lex v.

6. Eodem pertinet, ut certum ſerves, liberumque tempus, quod Patrum ſcriptis tribuatur. Habemus autem intervalla, quibus pacato, minusque diſtracto animo quotidie accedamus ad lectionem. Quod ſi impedimur aliquando, aliæ ſunt ſubſtituendæ horæ, uti ſcilicet diei ſpatia ferunt, ſuas in actiones ita tributa, ut cum una intercipit alteram, ſarciri continuo poſſit, ac compenſari. Aliis rebus ſive utilibus, ſive neceſſariis ſuum tempus datur, ſic detur & lectioni: nec detur tantummodo, verum

* *De vitis Philoſophorum Libro* 2.

verum & dicetur, qua fieri ſumma poſſit conſtantia, ſemper retinendum. Laudatur hac in parte divi Cypriani tot inter negotia, curas & pericula nunquam intermiſſum, ſed æquabile ſemper inſtitutum; de quo Hieronymus in *catalogo ſcriptorum. Eccleſiaſticorum* ait: *Vidi ego quemdam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ eſt, ſenem, qui ſe beati Cypriani jam grandis ætatis notarium, cum ipſe admodum eſſet adoleſcens, Romæ vidiſſe diceret, referreque ſibi ſolitum, numquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unum diem præteriiſſe, ac ſibi crebro dicere*: Da Magistrum! *Tertullianum ſcilicet ſignificans.* Habet autem id cum alia plurima bona, tum iſta duo ſane præcipua; primum quod uſu ipſo in conſuetudinem res venit, & rationem vivendi ita ſibi facimus perpetuo conſtare, ut denique avelli ab illa jam minime poſſimus: ſecundum quod lectione ſic inſtituta ſemper adhæret aliquid, accreſcitque in dies; haud ſecus ac cibum ſuo tempore ſumentibus uſuvenit; quemadmodum a S. Papa Damaſo eſt ſapientiſſime animadverſum. Ait enim *Epiſtola* 124. *nunc* 35. *apud Hieronymum*: *Hoc veluti quotidiano cibo alitur, & pingueſcit lectio.* Eſt autem hoc conſtantiæ ejus adjumentum ſingulare, ſi ubi deſiiſti, locum ſignes, aut quod alii ſolent factitare, librum jacere apertum ſinas, ut ipſe ſit monitor tuus, neque opus jam habeas ſive quærere eundem, ſive ex cumulo ceterorum ab amanuenſi repoſcere. Porro Religioſorum ſingularis commoditas, ut non ſolum ſtatum tempus tribuere lectioni poſſint; verum & ad prandium, & ad cœnam audire alios, qui prælegant, citraque laborem velut in os ingerant Patrum ſelectiſſimas ſcriptiones. Et quidem in Societate, primis præſertim annis, iſtud ſolenne, atque adeo univerſe poſitum in more fuit; quod ex *Catalogo librorum, qui poſt lectionem ſcripturæ legi ad menſam poſſunt*, comper-

compertiſſimum habetur. In hoc enim Catalogo præter *Hiſtorias* Patrum *Eccleſiaſticas*, ſelectæ *Epiſtolæ* divi *Hieronymi:* Chryſoſtomus *de orando Deum, de Providentia*, & *de Sacerdotio:* Ambroſius *de fuga ſæculi, de bono mortis:* Auguſtini *ſermones, Meditationes, confeſſiones*, aliaque opuſcula: *Tractatus* item S. Bernardi *de interiori domo*, & *ſermones* aliquot: item *homiliæ* patrum itidem ſelectæ ad publicam illam auditionem proponuntur. Hæc inquam facillima eſt ratio legendi Patres, quia diggeritur ordine, quia eodem loco, ac tempore repetitur; ubi lente, diſtincte, imo alta voce pronuntiata tam imprimuntur fortiter, ut effugere attentionem vix unquam poſſint. Clarius eminet, acrius commovet, tenacius hæret, quidquid ita audiviſti. Vox viva namque veluti affectus imponit verbis, ſenſumque auget; inſuper &

- - - *ignavis dant intervalla vigorem.*

Itaque animus magis concitatur, incaleſcit ingenium, aures adeo ipſæ ad numeros & collocationem aſſuefiunt. Contra Eccleſiaſtici ceteri, qui ſimul cum aliis non vivunt, illud præ Religioſis commodi habent, priori illi haud paulo præferendum, quod cum ſui quisque ſit juris, ipſe per ſe & auctorem, & tempus, atque etiam ſeceſſum poteſt delegere. Quæ omnia quam multum conducant ad lectionem, ignorat nemo. Hos igitur cum divo Carolo Borromæo hortor impenſe, & obſecro etiam, uti quotidianum illud penſum perſuaderi ſibi aliquando ſinant. *Quotidie*, ait ſanctiſſimus Præſul *, *aliquid ex ſacris Bibliis legite, ac ſi per Eccleſiaſticas occupationes licet, qui apti eſtis, aliquid item ex ſanctorum Patrum opuſculis, Gregorii magni Pontificis, Cypriani, Auguſtini, Chryſoſtomi, Bernardi, & aliorum, qui ſanctitatis, & doctrinæ laude in Eccleſia*

* In *Synodo Provinciali Mediolanenſi.*

cleſia celebrantur. Neque verbis contentus ille, idem exemplo quoque ſuo multo etiam impenſius inculcat. Vix enim alius fuit Epiſcoporum, qui & Patres legeret frequentius, & editiones eorum ſtudioſius, liberaliusque procuraret. Plures certe volente Carolo a Galeſinio, & Manutio emiſſi in lucem ſunt elegantiſſimo typo, & quod caput eſt ipſo quoque textu haud paulo prioribus caſtigatiore.

Lex VI.

7. Subceſivis quoque horis aliquid legendum. Nec enim ordinaria lectione excluſam volo eam, quæ præter ordinem ſuſcipitur. Potius & ipſam majorem in modum Eccleſiaſticis omnibus commendo. Sunt nimirum illæ horæ velut ſegmenta quædam temporis, quæ jam ob brevitatem ſuam, jam noſtram laſſitudinem, affectiones item animi, vel intemperiem aëris operi graviori ſervire minime poſſunt. Has ergo particulas quemadmodum ſocordes elabi vacuas per ignaviam ſinunt, ingenti paulatim jactura: ita prudentes cura maxima, nec minore compendio colligere ſtudent. Quippe ſi concreſcant illæ, & cumulentur, ſubductis rationibus apparebit profecto, multos in menſe unico dies, multas in anno hebdomades inde confici, quas qui lucro apponit, velut aliud agens amplificat facultates: qui negligit, etſi ideo non deficit, certe nec proficit. Quod ſi Ethnici reputantes indignum putarunt: ſi Cato in curia, dum conveniunt Senatores, librum verſavit: Si Plinii duo vel ad menſam recitari ſibi voluerunt: ſi alii quidam ambulantes, vel venatum euntes chartas tulerunt ſecum: ſi nonnulli ſuppoſitum cervicali codicem habuere, ut experrecti ad lucernam legerent: quanto magis tu, cui tempus carius, & libri meliores, modis omnibus debes operam dare, ne Patres

tres niſi coactus e manu dimittas, & uberrimus ille, qui ex temporum reliquiis exiſtit, proventus elabatur? Imitemur inquam Ethnicos: & ſi piget, ſi turpe eſt iſtos ſequi: at ſane ipſos, de quibus eſt ſermo, Patres ſequamur. Patiatur ſibi ſacerdos illud inculari, quod Hieronymus nobiliſſimæ puellæ inculcandum putavit *: *Crebrius lege, diſce quam plurima. Tenenti codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat.* Atque ita Nepotianus faciebat, de quo idem Hieronymus alibi teſtatur **: *Illum libellum oculis, illum manibus, illum ſinu, illum ore tenebat; cumque in ſtrato frequenter evolveret, ſuper pectus ſoporati dulcis pagina decidebat.* De ipſo Hieronymo Poſthumianus *** affirmat. *Totus ſemper in lectione, totus in libris eſt. Non die, non nocte requieſcit. Semper aut ſcribit aliquid, aut legit.* Nam & oculorum propterea infirmitatem incurrit, ut ſcribendi laborem ægerrime deinceps ferret, & dictare notario pleraque cogeretur. S. Dorotheus **** vel cum cibum ſumeret juxta ſe poſitum librum habuit, ad quem oculos ille reflectebat identidem. Sed & juxta ſtratum locare eundem eſt ſolitus, uti, quam primum ſe poſſet ſomno eripere, continuo lectitaret. Videtur his lectio pro deliciis & quiete, imo norma quadam vitæ fuiſſe; ita recipiebant ſe ad illam, ita illa animum a laboribus relevabant. Id quod *de S. Epiphanio Ticinenſi* S. Ennodius *in vita* admonuit. *Pingebat actibus ſuis paginam, quam legiſſet. Utebatur Lectione pro requie; poſtremo quid libri docuiſſent, vita ſignabatur.*

Lex vii.

* *Epiſtola* 22. *ad Euſtochium.*

** *Epiſtola* 31. *nunc* 60. *ad Heliodorum.*

*** Apud Supitium Severum *in Dialog.* I. *de virtutib. Monachor. Oriental.*

**** *Doctrina* 10.

LEX VII.

8. Nihilominus cum frequens ſit lectio, non ceſſet eſſe moderata. Nempe ſcitum illud: *Ne quid nimis* etiam hic quam maxime valet. Secus non ſolum deperit fructus lectione quæſitus; ſed caput præterea obtunditur, & ante lecta tantum non abolentur. *Sæpe prolixa lectio*, ait Bernardus * *longitudinis cauſa memoriam legentis obliterat.* Adde nauſeam quoque. Ut enim hucusque lectionem cibarui contulimus, eadem hic teneatur norma, quæ ibi tenetur; illa videlicet, uti ſolicite & inanitas pariter, & redundantia caveatur. Neque abſurde Franciſcus Petrarcha vir inſignis, animadvertit ** quemadmodum ſtomacho, ita & ingenio nauſeam nocuiſſe frequentius, quam famem; atque ea de cauſa ut ferculorum, ſic libellorum etiam uſum pro habitu, & facultate utentis eſſe metiendum. Et fames quidem facile declinabitur, ſi ordinaria ſit lectio, atque etiam alia præter ordinem tempore ſubceſivo accedat. Nauſeæ vero qui occurratur, & quomodo fieri poſſit, ut nec lecta plurima oneri ſint, ſed alimento, illud enimvero ſummæ eſt prudentiæ, ac moderationis ſingularis. Itaque feſtinandum lente. Citius, quocunque tendis, pervenies paſſibus, greſſuque ſolito, quam ſi currendo amiſſis viribus ipſum forte iter intermittere cogaris. Etſi autem per occupationum diverſitatem difficillimum eſt aſſignare tempus, quo quis indiget ad Patres pleroſque abſolvendos: iſtuc tamen pro certo auſim affirmare, triennium in ſolitudinem tra-

* *De interiori domo cap.* 50. tribuendus potius Hugoni Victorino.

** *Libro I. de Remediis utriusque fortunæ, Dialog.* 43. qui eſt *de librorum copia*, ubi & alia huc habet.

traductum ſufficere ad præcipua ſaltem legenda; nam ad omnia vita tota non eſt ſatis. Elige ergo tempus, qualecunque, & quantumcunque libuerit. Solum Cyprianum, Chryſoſtomum, Salvianum, & Bernardum ſi legeris, multum præſtitiſti. Aut quid deeſſe jam poſſit, quin ſublimi quadam ratione, plena ſucci, ac gravitatis dicas ad populum, ut primum Quatuorviros illos tuos feciſti? Tantum ne feſtines, & cupiditate finiendi ſive lectionem, ſive te ipſum peſſumdes. Medius es inter inexhauſtas opes, & theſauros immenſos, quos auferre nemo ſeu velit, ſeu poſſit. In tuto ſunt omnia. Quid ergo properas? quid prædonis inſtar ea invadis, quibus ut potiare, alio haud opus, quam ut manum extendas ſecurus, ut capias, ut recondas? *

Lex VIII.

9. Cum priore conſertum eſt, ut attente, & cum cura non vulgari legatur. Quemadmodum enim in omni lectione, ſic in iſta non debemus obiter verſari, non chartam oculis potius, quam animo percurrere. Parum juvat inſignes locos vidiſſe ſemel. Intuendi ſunt ſæpius, & contemplandi, ſubin repetendi etiam, componendi cum aliis. Sed & pondus ſenſuum, deliciæque ipſo ſermonis ruminari debent, non delibari duntaxat, integrave glutiri, ac dejici in ſtomachum. Et patientiam hanc jure ac quidem ab omnibus quis expectet: a nemine autem magis, quam ab eo, qui fructum lectionis ampliſſimum expectet, qui doctrinæ tinctura, quam dicunt, contentus non ſit, verum imbui penitus cupiat, atque ad fundum deſcendere.

* Vide Theophilum Raynaudum *in laude brevitatis ſectione II. Problem.* 9. ubi iſtud examinat; quæ præſtet Lectio, longa, & continua: num brevis & interrupta?

dere. Novimus vulgatam hodie ingeniorum perniciem, tenui quadam literarum velut aſpergine delectari. Tales enim homines nunquam ad ſolidum proficient, nunquam vivum ducent colorem, ſed ſummæ tantum cuti fucum allinent, quam protinus vel admota manus, vel ſudor ipſe abſtergat. Quod ſi beneficio memoriæ multa nihilominus conſervant: in pluribus tamen, quaſi dubia in luce aberrent, oportet; imo vel tum fortunæ, non ſcientiæ tribuendum, ſicubi rectus adhuc ab iis curſus teneatur. Guigo Carthuſianus in *ſcala Clauſtralium cap.* 7. rectiſſime interrogat: *Quid prodeſt lectione continua tempus occupare: Sanctorum geſta, & ſcripta legendo tranſcurrere; niſi ea maſticando, & ruminando ſuccum bibamus, & transglutiendo usque ad cordis intima tranſmittamus?* Eandem ruminationem jam ante inculcavit Philo *Libro de agricultura verſus finem*: & Ambroſius *Serm VII. in pſalmum* 118. *ad verſ.* Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ &c. S. Ephræm *ſerm de pat. & conſummat. ſæc.* S. Iſidorus Hiſp. *L. III. ſentent. cap.* 14. Guilielmus Abbas *Libr. ſupra laudato.* Veriti ſcilicet, ne quam cito arrepta ſunt aliqua, tam facile dimittantur, & ne opinantes quidem omnia effugiant. Sed Quintiliani pulcherrima verba non poſſum omittere, qui *Libro X. Inſtitutionum* ſuarum *cap.* 1. ita habet: *Repetamus autem, & tractemus, & ut cibos manſos, ac prope liquefactos demittamus, quo facilius diggerantur. Ita lectio non cruda, ſed multa iteratione mollita, & veluti confecta memoriæ imitationique tradatur.* Hac autem ratione & illud conſequemur commodi, ut non ſolum loco ſuo quodque promamus, verum & Critici præſtantes evadamus, operaque Patrum dubia primo ſtatim aſpectu diſcernamus a veris: ita olim, ita noſtra ætate multis accidit, ut cujus eſſent ſcripta, certius ea rebus ipſis, quam ex titulo judicarent.

Pulcre pro more Hieronymus de Nepotiano, quem ad Patres legendos ipſe accenderat *Epiſtol.* 3. *nunc* 60. paulo ante laudata, eum ita vacaſſe lectioni, ut velut ex ſaliva, guſtuque noſſet, quid ad hunc, quid ad illum ſpectaret: atque iſtud inter diſſerendum quam modeſte, tam impigre in memoriam reduceret. *Illud ajebat Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii eſt. Sic Minutius Felix, ita Victorinus, in hunc modum eſt locutus Arnobius. Me quoque, quia pro ſodalitate avunculi diligebat, interdum proferebat in medium, lectioneque aſſidua, & meditatione diuturna pectus ſuum bibliothecam fecerat Chriſti* *. Neque tamen ſeu dubia, ſeu ſpuria, quæ diſcernimus, ea de cauſa abjicienda putemus. Ut enim *multa in his admixta vitioſa*, quod idem ait **: *& grandis eſt prudentiæ aurum in luto quærere;* nihilominus vel in iſtis multa occurrunt ſane egregia; de quo fere editores magis accurati ſtatim initio ſolent Lectorem commonere.

L e x IX.

10. Ne legendi ſtudio, & contentione alia ſtatus officia intermittantur. Ratio ſatis eſt manifeſta. Eccur enim patres legamus, niſi ut partibus noſtris fungamur rectius, & cum alios, tum nos ipſos meliores efficiamus? Itaque Lectio eſt propter munia noſtra. His illa cedere debet, non hæc illis. Fit autem ſatis frequenter, ut ordo iſte intervertatur, apud eos præſertim, qui ſemel amore librorum abripi ſeſe totos ſiverunt. Plurimum enim remittere in aliis ſolent, ſtudioque pietatis, & charitatis

* Hic eſt ille Nepotianus, adoleſcens adhuc, ſed nobiliſſimus, & ſana mente, qui jam tum majoribus ſacerdotiis parabatur, & ad quem Hieronymus, ab ipſomet rogatus celebrem vivendi formam pro Clericis, & Sacerdotibus perſcripſit.

** *Epiſtola* 71. *nunc* 107. *ad Lætam.*

ritatis tantundem detrahere ſe putant poſſe, quantum ſtudio illi lectionis, & literarum ſuarum addiderunt. Simili de cauſa S. Auguſtinus quosdam monachos perſtrinxit; quando labore manuum (officio tum ſuo) ſuperſedebant confidenter, hujus ipſius quam dixi Lectionis prætextu. Sic enim rem aggreſſus eſt, ut præcipuum argumentum inverteret, telumque quo tueri ſe parabant, in eorum capita retorqueret. *Quæ eſt iſta perverſitas,* inquit, *Lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare? &, ut quod bonum eſt, diutius legatur, ideo nolle facere, quod legitur? Quis enim neſciat, tanto citius quemque proficere, cum bona legit, quanto citius facit, quæ legit?* * Addit Caſſianus *Collatione IV. cap.* 20. ſic idem fore apud hominem religioſum ſive libris incumberet, ſive otio, imo & ſomno indulgeret: *Tantum denique eſt Abbatis tranſire præceptum, ut legas; quantum ſi contemnas, ut dormias.*

Lex X.

11. Dum hæc maxime ſcribo, interpellavit non nemo, vir ut alias eruditus, ſic neque in Patribus hoſpes. Movit autem quæſtionem mihi prorſus inexpectatam. Heus tu, ajebat, num ſilentio, an clara, & diſtincta voce legendi Patres? cumque ſubriderem ego, atque a propoſito meo alienam litem cauſarer, quæ omnem ſimpliciter lectionem æque reſpiceret: nihil ille ſive vultum, ſive verba noſtra moratus: atqui, pergebat, hoc in argumento plura alia hinc inde tangebas, cuicunque lectioni communia. Uti ergo illa non omiſiſti, ita neque iſtuc debebas præterire: nam ut lubens concedo, id ad inſtitutum hoc tuum non facere; ſed ſine diſcrimine libros omnes attinere, vel ſic tamen lectoribus Patrum commoditatem præſtare ſane maximam poteſt. Reſpondi ego: velim ſane quemli-

* *Libro de opere Monachorum cap.* 17.

bet & ceteris in negotiis, & maxime in iſto quod commodius ſibi exiſtimat, ubique, & in perpetuum adhibere. Si ergo videt, incaleſcere ſe magis, affectumque ejus, quem legit, facilius induere, ubi verba recitat; recitet ſane, atque pronuntiet, qaamdiu lubitum ipſi erit. Cui vero ſecus accidit: aut qui pulmones minus firmos eſt nactus, quam ut laborem lectionis claræ perferre poſſit, huic profecto erit ſilentio legendum, me etiam non admonente. Nihil ita varium, ut habitudo hominum. Multis nocet, quod alios juvat vehementer. Unde haud paucos ſit reperire, quorum pectus ac ventrem valde confirmet vocalis lectio. Sic Plutarchus * inter genera exercitationum, quæ ſolent cauſa valetudinis ſuſcipi, commendat mirum in modum exercitationem vocis ſeu diſputando, ſeu legendo, ſeu recitando ea fiat. Et Plinius *Libro IX. epiſt. 36. ad Fuſcum* non tam vocis ſe cauſa, quam ſtomachi ait legere, pariter tamen utramque intentione illa roborari. Contra alii vocem obtundi ſibi hac ratione, nervosque ipſos debilitari conqueruntur. Mihi attentio minuitur. Et puto ſane idem præſertim ſeveriori & implicatiori in argumento lectoribus ſine diſcrimine omnibus evenire. Mens enim in ſenſum una & ſonum defigitur, ſicque res ipſæ neque ſatis afficere poſſunt, neque ut deberent, penitiſſime in animum deſcendere. S. Iſidorus Hiſpalenſis ** Lectione muta intelligentiam juvari dicit, claramque improbat, ut quæ & ſpiritum delaſſet, ac vires corporis infringat. De Ambroſio Auguſtinus, qui ejus omnia notabat, teſtatur, ſilentio ſolitum legere ***.
Cum

* *De tuenda bona valetudine.*
** *Libro III. Sententiarum*, ſeu de ſummo bono *cap.* 14.
*** *Libro VI. Confeſſion. cap.* 3.

Cum legebat, inquit, *oculi ducebantur per paginas, & cor intellectum rimabatur. Vox autem & lingua quieſcebant.* Iſtuc autem hac maxime de cauſa feciſſe eum, continuo ſubjicit, ut vocem, quæ ei facillime obtundebatur, ad publicas dictiones quiete illa integram conſervaret. Verum ut initio dixi, nolo minutiſſimis de rebus diutius tricari, & ſi breviter aliquid, ſi cordate eſt affirmandum, pars potiſſima ſine voce & attendunt facilius, & multo etiam longius progrediuntur.

Lex XI.

12. Undecima Lex, & conſulto huc dilata quidquid legis, ordine vult legi. Galenum memorant, ſæcularem hominem ſcriptione quadam ſingulari cautum omnibus voluiſſe, ut qui maxime proficere vellent e libris ſuis, hunc quidem primo, illum ſecundo, iſtum tertio loco accederent. Nusquam non vitanda confuſio. Quod cum alias ſit veriſſimum etiam bonis, etiam utilibus in rebus, tum in cibis præcipue, cum quibus Lectionem perpetuo ſolemus hic comparare. Porro hoc univerſe defin'o, non niſi a præclaris quibusdam ſcriptionibus eſſe auſpicandum. Et cur iſtuc ais? quod quæ prima diſcimus, præ ceteris ſcilicet & arripiuntur cupidius, & firmius etiam, diutiusque retinentur. Ratio non plauſibilis ſolum, ſed certa, ac evidens, ut ridiculus fuerit, qui in dubium eam vellet revocare. Illam vero cautionem adjungi magnopere cupio, ut quæ judicio tali ſelegiſti ſimul & facillima, & breviſſima ſint. Brevitatis enim habenda ratio, ut occurratur nauſeæ, quam per ſe ſolet copia, & ſatietas omnis provocare. Facilitatis autem multo etiam major neceſſitas. Aut quid conducent ea, quæ concoquere non poſſis? moleſtiam parient, ac laborem; imo periculum quoque. Ingenue de me confiteor, quod ſi primo in Dionyſium,

ſium, in Juſtinum Martyrem, in Clementem Alexandrinum, in Gregorium Nazianzenum, in Ambroſium, maxime vero in Tertullianum incidiſſem, deſperaſſem haud dubie, & abductus omnino ab ea cogitatione fuiſſem, uti operibus Patrum verſandis meliores annos conſecrarem. Igitur veluti per gradus quosdam procedamus. Primum velut ex plano a facillimis ad facilia: ab his ad moderata: donec ad difficilia etiam, magisque impedita eluctemur. Sic certe omnia, quæ legemus, præterquam quod minore moleſtia ſtabunt, imprimentur altiſſime, & quod ſummam habet utilitatem, parabunt ad conſequentia licet abſtruſiſſima pernoſcenda. Igitur ad delibandum, & prægustandum ſapidiſſima quidem, ſed magis ea invadat lector, quæ diggerantur commode, quæque impleant paulatim memoriam, non onerent, vel opprimant.

13. Hic tu mihi ain, quando iſto præcipue libro uſum, & praxin quamdam profiteris, ipſum illum, quem prædicas ordinem, nominatim præſcribe; ita quidem, ut norim accurate, quem præ alio Patrem in manus ſumere, quosque ejus libros initio, quos in proceſſu volvere: quos ad finem denique debeam reſervare. Rem ſi minus difficilem, at plenam diſcriminis poſtulaſti mi bone. Miraris? ſic eſt, plenam diſcriminis dico; & jure quidem; propter ſummam ſcilicet, quæ hic occurrit qua ſtudiorum, qua etiam opinionum varietatem. Faciam tamen, quod cupis; ſic enim mecum reputo: æquus ſi es Lector, non quod re ipſa ſit optimum (quis enim promittere, ne dicam præſtare id auſit?) verum quod mihi quidem tale viſum fuerit, a me potes expectare. Iſtuc autem priusquam aggredior, notandum ſtudioſe, duplicis generis argumenta oratori ſacro tractanda, atque a ſcriptionibus Patrum arceſſenda eſſe. Primum, idque frequentius, quod ad Mores, alterum

terum quod ad Dogmata refertur. Nam & hæc explicari populo ſolent, & quidem non quomodocunque, nec ſiccitate ea, qua in ſcholis, verum copioſe, atque eloquenter. Itaque, quod Moralia ſunt ceteris planiora, uſumque multo maximum habent: hæc primo loco evolvenda exiſtimo. Rurſum quæ in his ſunt pulcherrima, vel potiſſimum, vel ſi placet, dimiſſis aliis unice perlegantur. Quam in rem delectum, quem quidem in libris Patrum fecimus * curioſe, probe teneri memoria, eumque, quoties dubitatio exoritur, conſulere identidem oportebit. Sed neque illud debet excidere, eſſe quoſdam ſive Græcorum ſive Latinorum dono illo claritatis, quod eſt ſummum, & incomparabile, ſupra quam credi poſſit excellentes. Idque Libro quarto, ubi de hac ipſa re agendum ex profeſſo fuit, nominatim in Origene, in Lactantio, Athanaſio, Baſilio, Aſterio, Chryſoſtomo, Hieronymo, Iſidoro Peluſiota, Leone, Theodoreto, Salviano, Damaſceno, Bernardoque prædicavimus. Hi ergo agmen ducant, atque ad reliquos veluti viam aperiant, facem nobis lucidiſſimam præferentem. Denique, ubi paria ſunt cetera, antiquiora legenda ſunt antea, quam recentiora, ita videlicet, ut non inter diverſos ſolum Auctores, ſed unius ejuſdemque hominis ſcripta ſingula ratio temporis habeatur. Exiſtit autem inde permagnum commodum; neque illud tantum, quod ſic poſteriora intelligantur facilius; ſed iſtud præterea, quod quemadmodum ipſa Religio tractu temporum adolevit, ita eoſdem in profectu gradus etiam Lectores ſint habituri. Accedit quod poſterior priorem corrigit ſæpe, & interpretatur. Quare nullo negotio ſtatues, quam id recte, quam

I 5 ratione

* Libro *ſecundo* & *tertio*, *capite* 3. cujuslibet *Diſſertationis.*

ratione hic faciat, judex eo incorruptior, quod ad cauſam alterius abſque præjudicio acceſſiſti. In quo multi hujus legis neglectu quam ſæpiſſime labuntur. Ubi enim correctum aliquid inveniunt in poſteriore, facile animo imbibunt opinionem ejus, atque antea condemnant priorem, quam non dico audierint rationes ejus, ſed vultum ipſum conſpexerint. Quid quod ſacris in rebus multa cognoſci apud juniores certo haud poſſunt ſine cognitione illa vetuſtiorum. Illi enim ad hos referre ſeſe, ex his proficere, hos veluti duces ſolent adhibere. Qui ergo vetuſtiores ipſosmet legit, cum ad ceteros devenerit, ſeriem rerum omnem velut ante oculos ſuos evolvi videt, non ſine maxima, eaque nova ſemper, & inexpectata voluptate.

Et hæc, ut ſunt generalia, multum tamen per ſe uſus habent non ſolum ad tollendam confuſionem, verum & ipſum lectionis ordinem quam fieri commodiſſime poſſit, inſtituendum. Tamen neque hoc contentus affirmate, & minutim pronuntiabo, quos ego Patrum libros, non paſſim, & in cumulo, quod ajunt, ſed claſſibus ſuis, veluti compoſito agmine diductos percurri ſingillatim, ac verſari velim. Ne vero, ut curate id præſtandum ſit, ingentes hic Catalogos expectes. Nolo auctorum centurias, & Patrum quaſi Bibliothecam adornare. Id quod opus hoc noſtrum produceret in immenſum; & libertatem etiam adimere lectoribus videretur. Quis vero in re alias operoſa excedi modum, quodque gravius, vincula injici ſibi patiatur? Enimvero id maxime tollit legendi tædium, ſi propius finem verſari te videas: ſi delectum vel inter paucos facere per te ipſus poſſis, ſi inter æqualia tuam potius, quam alienam ſequi voluntatem. Ergo ad has ipſas quas dedi *leges* præcipua ſolum opera nominabo, ut ex quibus facillima

lima deductio ſit, & conjectura deinceps etiam de ceteris ejus generis fiat.

CAPUT II.

Ordo legendi Opera Patrum moralia.

14. In genere *Moralium* primo omnium legenda puto SENTENTIAS, DOCUMENTA & CAPITA VIRTUTUM breviora, uti ſunt:

S. MARTINI BRACARENSIS *Sententiæ de moribus.*

S. GREGORII NAZIANZENI *Sententiæ Monoſtichis, Diſtichis ac Tetraſtichis comprehenſæ.*

S. JOANNIS DAMASCENI *Parallella.* Ubi tamen, ſi quæ fuſius ex Baſilio, ex Chryſoſtomo, ex aliis adduxit, omitti interea tuto poſſint, ut quæ iterum debent legi apud ipſos auctores.

S. NILI ABBATIS *capita*, præſertim illa *de octo vitioſis cogitationibus.*

S. BASILII MAGNI *Inſtitutiones aſceticæ*, germanæ.

Poſt hæc, & ſimilia ſuaderem magnopere vitas quasdam Sanctorum breviter, eleganterque perſcriptas, verbi gratia:

Ex *S. Athanaſio* vitam	S. ANTONII ABBATIS.
Ex *S. Gregorio Nyſſeno* vitam	S. GREGORII THAUMATURGI.
	S. MACRINÆ.
	S. EPHRÆM.
Ex *Sulpitio Severo* vitam	S. MARTINI TURONENSIS.
Ex *S. Hieronymo* vitam	S. PAULI, primi Eremitæ.
	S. HILARIONIS ABBATIS.
	MALCHI MONACHI.

Hiſto-

Hiſtoriam DE MULIERE SEPTIES ICTA.

Ex *Theodoreto* PHILOTHEUM, ſeu Dei amantium Hiſtoriam.

Ex *S. Ennodio* vitam S. EPIPHANII TICINENSIS.

Ex *S. Bernardo* vitam S. MALACHIÆ HIBERNI.

Ex tribus ſcriptoribus *Guilielmo*, *Arnoldo* & *Gaufrido* vitam S. BERNARDI, unum in corpus diggeſtam.

His accedent LACTANTII *Mortes Perſecutorum.* SULPITII SEVERI *Hiſtoria ſacra.* THEODORETI *Hiſtoria Eccleſiaſtica* &c.

Ratio, cur id ſtatuam, denuo cum brevitas, tum nitor, atque ipſa varietas cum ſapientia & judicio ſingulari conjuncta.

Ab his tranſeundum ad ſelectas Patrum Epiſtolas, puta:

S. IGNATII MARTYRIS, quæ tamen vere illius ſunt.

S. CYPRIANI.

S. CYRILLI HIEROSOLYMITANI epiſtolam unicam ad *Conſtantium Auguſtum.*

S. BASILII MAGNI.

S. GREGORII NAZIANZENI.

S. CHRYSOSTOMI.

SULPITII SEVERI.

S. HIERONYMI, ſaltem breviores, & quæ laudatoriæ non ſunt; illæ enim poſtea cum *Panegyricis* & *Tractatibus* commodius legentur.

SYNESII.

S. AUGUSTINI.

S. PAULINI.

S. NILI.

THEODORETI.

S. FULGENTII.

S. BERN-

S. Bernardi.

Selectiores dixi, id eſt falicioribus de argumentis; quæ ſane ex ipſo plerumque titulo licebit videre. Speciatim autem hoc loco Epiſtolas S. Isidori Pelusiotæ commendo, easque omnes nullo diſcrimine. Hæ enim ut brevitate, & elegantia, ſic nervo quodam ac libertate ſcribendi facile obtinent principatum. Aliæ difficilioris argumenti, aut Decretales, Dogmaticæve Epiſtolæ, uti illæ divi *Leonis*, multæ item apud *Ambroſium* & *Auguſtinum*, aliquæ apud *Paulinum* &c. neque hujus ſunt loci, & partim differri, partim omnino omitti poſſunt ab eloquentiæ ſtudioſis.

Ab Epiſtolis gradum facio ad Homilias, uti ſunt:

S. Cyrilli Hierosolymitani unica in *Paralyticum ad piſcinam probaticam jacentem.* Unicam dixi; catecheſes enim viri ſancti magis ſerviunt contra *Hæreticos*.

S. Basilii variæ variis de argumentis, quæ *mores* habent.

S. Gregorii Nazianzeni orationes *de Pace*, *de pauperum amore*, *de baptiſmo*, *de plaga grandinis*, & ſimiles.

S. Gregorii Nysseni orationes, & homiliæ variæ.

Asterii Amaseni homiliæ.

S. Paciani *Parœneſis ad pœnitentiam*, & *ſermo de Baptiſmo* ad Catechumenos.

S. Chrysostomi homiliæ *ad populum*, itemque ſermones illi omnes, qui vel de vitio aliquo, vel de virtute nomen habent. Iterum *Digreſſiones morales* omnes in *Evangelia*, in *Acta*, in *Epiſtolas Pauli.*

S. Basilii Seleuciensis orationes omnes.

Eusebii Gallicani, ſeu potius S. Eucherii homiliæ germanæ.

Theo-

THEODORETI oratio præſtans *de charitate.*

S. LEONIS Sermones.

S. SOPHRONII ſermo *de S. Angelis.*

S. ANASTASII SINAITÆ ſermo *de Synaxi.*

S. THEODORI STUDITÆ Orationes *Catecheticæ.*

S. BERNARDI Homiliæ, & Sermones.

In his omnibus pietas cum eloquentia certat, ipſumque argumentum allicit ad legendum. Adde quod tam plana plerumque, tam facilia, & popularia illa ſunt, ut pede inoffenſo a quolibet etiam minus erudito percurri negotio nullo poſſint.

Sequuntur ORATIONES PANEGYRICÆ, ſcilicet:

S. GREGORII THAUMATURGI in *Origenem.*

S. BASILII in *Gordium Martyrem,* in *quadraginta Martyres* &c.

S. GREGORII NAZIANZENI in *S. Athanaſium,* in *S. Baſilium magnum,* in *ſororem Gorgoniam,* in *Gregorium Parentem,* in *Cæſarium fratrem* &c.

S. GREGORII NYSSENI in *Martyrem Theodorum,* in *Placillam,* in *S. Stephanum* &c.

S. AMBROSII in *Auguſtos,* & *Satyrum fratrem.*

S. CHRYSOSTOMI in *plures S. Martyres.*

S. HIERONYMI Elogia *Nepotiani, Bleſillæ, Paulæ, Marcellæ, Aſellæ, Leæ, Fabiolæ* &c.

SYNESII *Conſtitutio,* ſive *Elogium Anyſii.*

S. NILI *oratio in Albianum* Monachum Nitrienſem.

EUSEBII GALLICANI in *S. Blandinam,* in *SS. Epipodium* & *Alexandrum,* atque alios quosdam.

S. DAMASCENI *Orationes.*

GEORGII NICOMEDIENSIS Sermones in *Feſta Deiparæ.*

S. BERNARDI Sermones in *dies feſtos,* item in *Gerardum fratrem* * *Humbertum Monachum* &c.

Abſo-

* Eſt *Serm.* 26. *in Cantica.*

Abſolutis aliquando ſermonibus progrediendum eſt ad Morales TRACTATUS, ubi iterum ducto a minoribus initio paulo majores loco ultimo reſervabimus. Incipiendum eſt autem a CLEMENTIS ALEXANDRINI opuſculo: *Quis dives ſalvus?* & ORIGENIS *Exhortatione ad Martyrium*, alioque *de oratione* libello.

Sequuntur S. CYPRIANI Tractatus de *bono Patientiæ*: de *opere & eleemoſyna*: de *Diſciplina & habitu Virginum*: de *oratione dominica*: de *Mortalitate*: de *zelo & livore*: de *Lapſis*: de *ſpectaculis*: de *bono pudicitiæ*. Nec omittendus, qui perperam ipſi tribuitur, de *ſingularitate Clericorum*.

S. GREGORII NYSSENI *de perfectione chriſtiani*, cum ceteris iſti ſimilibus.

S. AMBROSII Libri de *Virginibus*: de Viduis: de *bono mortis*: in *Nabuth*: de *Elia & Jejunio*: in *Tobiam* &c.

S. CHRYSOSTOMI de *Comparatione Regis & Monachi*: de *orando Deum*: *Parœneſes ad Theodorum lapſum*: de *compunctione cordis*: *Quod nemo læditur, niſi a ſe ipſo*: ad *ſcandalum paſſos*.

S. HIERONYMI de *vita Clericorum* ad Nepotianum: de *Monachi vivendi forma* ad Ruſticum: de *Virginitate tuenda* ad Demetriadem & Euſtochium: de *viduitate* ad Salvinam, Furiam, Ageruchiam &c. *

S. AUGUSTINI de *ordine*: de *Moribus Eccleſiæ, & moribus Manichæorum*: de *bono viduitatis*: de *opere Monachorum*: de *Patientia* &c.

S. EUCHERII *Parœneſis ad Valerianum*, Libelluſque de *laude Eremi*.

S. BERNARDI de *Converſione ad Clericos*: de *amore Dei*: de *gradibus humilitatis*: *Declamationes* in: *Ecce nos reliquimus* &c.

His

* Ni forte jam inter *Epiſtolas* (de quibus ſupra) ſint perlectæ.

His quoque abſolutis occurrunt eorumdem Tractatus paulo ampliores; nempe:

CLEMENTIS ALEXANDRINI *Pædagogus.*

LACTANTII Liber de *opificio Dei.*

S. GREGORII NYSSENI de *Virginitate.*

S. AMBROSII Libri de *ſacerdotio*: de *Providentia*: de *Virginitate*: contra *oppugnatores vitæ monaſticæ.*

SALVIANI Libri de *gubernatione Dei*: & *ad Eccleſiam Catholicam.*

SEVERINI BOETHII de *Conſolatione Philoſophiæ* opus.

S. ISIDORI HISPALENSIS Libri *ſententiarum*, ſive de *ſummo bono.*

S. BERNARDI Libri de *Conſideratione.*

Denique ex ratione, quam dedi ſupra, cum primo debuiſſet, loco ultimo legendus TERTULLIANUS de *Pœnitentia*: ad *Martyres*: de *Patientia*: de *ſpectaculis*: de *habitu muliebri*: de *cultu fœminarum*: ad *uxorem*: de *velandis virginibus*. Hæc enim ſi non plus ingenii & temporis, attentionis certe ob ſtyli difficultatem longe plurimum requirunt. Simili de cauſa Libros *Stromatum* CLEMENTIS ALEXANDRINI huc reſervavi. Etſi enim, ſi verba ſpectentur, Tertulliano eſt multo clarior: nihilominus, quod ſtudioſe turbat, & confundit omnia, res ipſæ abſtruſæ admodum, & reconditæ exercitatiorem requirunt Lectorem. Adde præcipuam operis partem ad *Fidem* magis, quam *Mores* pertinere. Unde de eo inter Dogmatica iterum dicemus.

CAPUT III.

Ordo legendi Opera Patrum Dogmatica.

15. A Moralibus ad Dogmatica tranſeo. Horum autem apud me duo ſunt genera. Primum eorum, quod *ſacras literas* tractat: alterum, quod

quod ipſa *dogmata*, & *quæſtiones fidei* jam contra *Gentiles*, jam contra *Hæreticos* ſolet ventilare. A primo genere, in quo minimus datur eloquentiæ locus, cunctatione abjecta initium continuo faciamus.

§. I.

Ordo legendi Opera Patrum Dogmatica in Scripturas.

Ante omnia legenda SYNOPSIS SCRIPTURÆ, ſive illa Chryſoſtomi *Tomo VI.* a Montfaucono edita, ſanctoque Doctori aſſerta: ſive alia, quæ nomine divi Athanaſii circumferebatur.

S. Hieronymi *Prologus Galeatus*: *Præfationes ad libros ſcripturæ* editos a ſe, verſos, illuſtratos: præcipue vero *Epiſtola* 103. *nunc* 53. *ad Paulinum* * & *Epiſt.* 101. *ad Pammachium de optimo genere interpretandi*; eſt hodie 57. Caſſiodorus *de Inſtitutione divinarum literarum*. Auguſtinus *Libris* 2. & 3. *de doctrina Chriſtiana*: *Epiſtola* 3. *nunc* 137. *ad Voluſianum*: *Epiſtola* 119. *nunc* 55. *ad Januarium*: paſſim etiam in libris *de Civitate*; ubi quidem de ſcripturis ſermonem habet. S. Damaſcenus *Libr. III. orthodox. fid. cap.* 18. Origenes in *Philocalia*, & *homil.* 4. *in Exodum.* Caſſianus *collatione* 4. *tota.* S. Eucherii *Libri duo Inſtructionum ad Salonium*, & de *formulis ſpiritualis intelligentiæ ad Veranum.* S. Iſidorus Hiſpalenſis in *allegoriis ſcripturæ* **. Adde S. Hyppoliti ad illuſtrandos libros ſacros haud pauca. Sed & crediti Juſtini *quæſtiones centum quadraginta ſex*, ut quæ merito ſuo ſummi ſolent ab eruditis

* Vehementer hunc commendat Caſſiodorus Libro mox citando *cap.* 6. 21.

** *Proœmia* ejus in Vetus & Novum Teſtamentum minus neceſſaria ſunt ei, qui ſuperiora diligentius perlegit.

ditis omnibus æſtimari. Nec omittenda eximia *Præfatio* Honorii Auguſtodunenſis *in Cantica.*

Denique eos, qui ſive Teſtamenta, ſive ipſos inter ſe libros concordare oſtendunt, Tertullianum videlicet *Libro IV. adverſus Marcionem.* S. Auguſtinum *de Conſenſu Evangeliſtarum.*

Poſt hæc, veluti præludia quædam, ad ſingulas ſcripturarum Interpretationes eſt paulatim accedendum. Id autem, quo fiat utilius, operæ pretium putavi & iſtuc adjungere, quinam Patrum in ſacros quosque libros ceteris præclarius ſcripſerint, & commentati ſint.

In Genesin excellunt Theodoretus & Chryſoſtomus: Auguſtinus *Libro I. quæſtionum in Heptateuchum*, & in *Libris XII. de Geneſi ad literam*, & *libro uno imperfecto in eandem.* Opus ſex dierum optime omnium tractavit Baſilius. S. item Ambroſius varia in Geneſin egregie perſcripſit. Adde Hieronymi Tractatum *de quæſtionibus*, *ſeu traditionibus Hebraicis in Geneſin*, qui & ad reliquos ſcripturæ libros conſulendus. Origenis pleraque perdidimus; & quidem egregia ſunt, quæ temporum injuriæ reliquum fecere.

In Exodum Theodoretus: Auguſtinus *Lib. II. quæſtionum in Heptateuchum.* Origenes, cujus in hunc librum homilias tredecim habemus.

In Leviticum omnes ſuperat Radulphus Flaviacenſis. Accedunt Theodoretus, Steſychius. Auguſtinus *Libro III. quæſtionum in Heptateuchum.*

In Numeros Origenes: Theodoretus: Auguſtinus: *Libro IV. quæſtionum* ſæpe dictarum.

In Deuteronomium. Theodoretus: Auguſtinus *Libro V. quæſtionum.*

In Josue Theodoretus, & Procopius Gazæus. S. Auguſtinus *Libro VI. quæſtionum.* Origenis *homiliæ viginti ſex* fere morales ſunt.

In

In Judices Theodoretus: Auguſtinus *Libro ultimo quæſtionum.*

In Ruth Theodoretus.

In Libros Regum idem Theodoretus.

In Libros Paralipomenon rurſum Theodoretus.

In Libros Esdræ nihil ſatis dignum oſtendere poſſumus; ſed neque

In Tobiam, &

In Judith, &

In Esther.

In Job S. Gregorius magnus in *Libris XXXV. Moralium.* Olympiodorus.

S. Auguſtinus in *annotationibus* brevibus, ac literalibus.

In Psalmos S. Chryſoſtomus, o ſi hodie totus! Adde Theodoretum, & Euſebium Cæſarienſem. Auguſtinus tomo integro grandiori in Pſalmos ſcripſit, qui legendus non eſt. Suadeo ejus loco Caſſiodorum, qui ita illum contraxit, ut multum ſuperaret, atque etiam de ſuo varia quam breviter tam appoſite adjiceret. Laudant hoc opus non ſolum Recentiores; ſed antiqui ipſi Beda, Strabus, Honorius Auguſtodunenſis merito ſunt admirati. Viri hujus mens magna veluti ſydus quoddam inter tenebras & barbariem ævi ejus illuxit. Stylo ignoſcere Lectorem cupit, & veniam nondum petiit, cum primo congreſſu jam impetravit. Quamquam in hoc opere haud paulo cultiorem, nec ſupra ætatem tantum, ſed morem quoque ſuum videas eloquentem *.

 In

* Antea, quam pſalmos aggrediare, lege ſis, quæ Gregorius Nyſſenus *Tractatu duplici*, & *Concione in Pſalmum 6. de Inſcriptionibus Pſalmorum*, & de *octava* annotavit.

In Proverbia nullum habemus ſatis excellentem, niſi forte Salonium, filium S. Eucherii Senioris.

In Ecclesiasten S. Hieronymus. S. Gregorius Thaumaturgus in Paraphraſi, ſeu *Metaphraſi*. Magnifice & luculenter ſcriptam uno conſenſu tam vetres quam noſtri commendarunt. Eſtque majori in honore habenda, quod indubitatum eſt opus ejus viri, qui vitam ſanctiſſimam, & prodigia inaudita cum Græcæ eloquentiæ gravitate ſumma conciliavit. Præclare etiam hunc librum Olympiodorus verſavit. Nec omittendæ homiliæ octo S. Gregorii Nyſſeni, quæ etſi ſint morales tantum, magnam tamen merentur commendationem.

In Cantica. Nullus eſt ſcripturæ liber, qui præſtantiores ſit nactus interpretes, quam iſte Canticorum. Atque utinam vel abſolvere Commentarios, aut abſolutos ad nos transmittere illi potuiſſent. De Origeniano dictum ex Hieronymo, quod cum ceteris libris omnes viciſſet, in cantico canticorum ſe ipſum vicerit. Aliud ejusdem nomine extat Latini auctoris opus, & ipſum valde egregium, ſed præter Prooemium nonniſi prima duo capita complectitur. Vide diſſertationem de Eloquentia Origenis *cap.* 3. S. Bernardus *ſermones* 86. perſcripſit, ſed pariter in duo ſolum capita priora, & initium tertii; quod curis graviſſimis diſtentus, denique & morte occupatus non potuit totum abſolvere *. Confugiendum ergo ad Theodoretum, ad Aponium, Juſtumque Urgelitanum. Egregie etiam ſuo in commentario negotium gratiæ peregit Venerabilis Beda. S. Gregorii Nyſſeni in eundem librum *Homiliæ* commendantur vehementer ab hominibus eruditis.

In

* Jacturam quoquo modo penſavit Gilbertus Hollandus, qui Bernardum proſequi totum volens, ultra quintum tamen Cantici caput non excurrit.

In Sapientiam nullum ſcio. Sed neque.

In Ecclesiasticum, præter Rabanum Maurum, moralem magis, quam literalem. *

In Isaiam S. Hieronymus: Theodoretus: Procopius Gazæus egregie: Origenes & Baſilius (ſi tamen ipſe eſt) deperditi ſunt maximam partem. Chryſoſtomus ultra caput octavum non eſt progreſſus.

In Jeremiam S. Hieronymus, & Theodoretus. Origenes iterum ultra dimidium deperditus.

In Threnos Thedoretus.

In Baruch idem.

In Ezechielem. Hieronymus: Theodoretus, Origenes, non integer. S. Gregorius magnus, ſed moralis totus.

In Danielem S. Hieronymus, & Theodoretus.

In Osee iidem duo.

In Joelem iterum hi duo.

In Amos rurſum hi ipſi.

In Jonam etiam.

In Michæam denuo Hieronymus, & Theodoretus.

In Nahum iidem, & S. Julianus Toletanus:

In Habacuc Hieronymus, & Theodoretus.

In Sophoniam iidem.

In Aggæum rurſus Hieronymus, & Theodoretus.

In Zachariam iterum.

In Malachiam etiam.

In Libros Maccabæorum. S. Ephræm nuper repertus, & Rabanus Maurus in *gloſſa ordinaria,* ſed

* Hic quoniam ad Prophetas devenimus, juverit ſane homilias Chryſoſtomi de obſcuritate prophetarum præmiſiſſe.

ſed moraliter tantum. S. Thomas Aquinas ad literam clare, & breviter.

In Matthæum eminent S. Chryſoſtomus, S. Hieronymus.

In Marcum neminem habemus inſigniorem præter Theophylactum.

In Lucam Origenes, & S Ambroſius.

In Joannem omnes præcellit S. Auguſtinus.

In Acta Apostolorum legendus Theophylactus, qui commentarium Chryſoſtomi, de quo alibi, & elaboravit magis, & in compendium redegit.

In *Epiſtolam S. Pauli* Ad Romanos S. Chryſoſtomus, & qui ipſum tam hic, quam in ceteris ſequitur, Theodoretus, ſane præſtanter.

In I. Ad Corinthios S. Chryſoſtomus.

In II. Ad Corinthios idem.

In Ad Galatas S Chryſoſtomus: S. Auguſtinus: S. Hieronymus: Claudius Taurinenſis.

In Ad Ephesios S. Chryſoſtomus: S. Hieronymus.

In Ad Philippenses Theodoretus.

In Ad Colossenses Theodoretus.

In I. Ad Thestalonicenses Theodoretus.

In II. Ad Thessalonicenses iterum Theodoretus.

In I. Ad Timotheum,

In II. Ad Timotheum,

In I. Ad Titum S. Hieronymus, qui eximio eam commentario illuſtravit. Adde etiam S. Chryſoſtomum, non minus, ſi non magis excellentem.

In Ad Philemonem S. Chryſoſtomus, & S. Hieronymus.

In Ad Hebræos Theodoretus.

In *Epiſtolam* Catholicam S. Jacobi Didymus Alexandrinus.

In

In *Epiſtolam* I. S. Petri. Clemens Alexandrinus: Didymus Alexandrinus.

In *Epiſtolam* I. S. Joannis S. Auguſtinus præclare. Laudatur etiam Clemens & Didymus Alexandrini.

In II. *ejusdem* iterum Clemens, & Didymus.

In III. Hi ipſi.

In *Epiſtolam* S. Judæ iterum hi duo.

In Apocalypsin Andreas Cæſarienſis, & creditus Ambroſius ad literam: ad ſpiritum S. Rupertus Tuitienſis.

Hæc de Patrum delectu circa Scripturam, quo minime profecto opus erat, ſi eorum, qui omnes fere hujus libros tractarunt, monumenta ſupereſſent. Horum autem multa, ſi non pleraque, vel injuriis temporum, vel hominum negligentia dudum interciderunt. Superi! quæ jactura. Quod ſi quis negotia cauſetur, vel Patrum libris inſtructus non ſit: is, quod Interpretes varios evolvere minime poteſt, rectiſſime fecerit mea ſententia, ſi in uno fere Chryſoſtomo, vel Theodoreto: aut, cum ad novum venerit Teſtamentum, ſaltem in Theophylacto aquieſcat. Tam preſſe enim in interpretando Chryſoſtomum eſt inſecutus, ut abſolutum ejus doctoris breviarium nobis repræſentaret.

§. II.

Ordo legendi Opera Patrum Dogmatica adverſum Infideles.

16. Ad genus alterum Dogmaticorum, quod circa Religionem, & ejus placita verſatur, perventum eſt. Hic vero quia exercitatum jam habeo Lectorem, tantopere non eſt laborandum, ut faciliora difficilibus, aut clariora obſcuris ille præponat. Itaque ordo temporis, quo libri illi prodierunt, ſervandus plerumque, ac ita veluti primis fonti-

bus eſt Religio arceſſenda. Iſtuc unicum dari mihi percuperem, uti præludii loco ante cetera legat Auguſtinum *de vera religione*, & Libros illos *divinarum Inſtitutionum*, quibus Lactantius Philoſophorum gentilium ſcholas omnes evertit. Primum certe opus ejusmodi eſt, uti dignam de ſublimitate Religionis imaginem adumbret. Alterum vero oſtendit ad oculum, quo demum inſaniæ ſapientia mundi devenerit, antequam melioribus literis imbueretur divinitus, cœleſtique lumine denſiſſimas illas tenebras diſſiparet.

Ab his recta itur ad Euſebii Cæſarienſis Libros de *Præparatione*, & *Demonſtratione Evangelica*. Iſti enim præterquam quod ſumma ſunt ſoliditate, eruditionis Eccleſiaſtiæ copiam immenſam habent. Et Præparatio quidem labore Vigerii faciem longe aliam induit, atque illa fuit, quæ olim non dico in noſtra, ſed nativa quoque lingua comparebát. Cum enim Euſebii rebus unice intentus, & earum mole pœne obrutus eſſet, neceſſe erat, uti modicam elegantiæ rationem haberet, raro ad ſplendorem aſſurgeret, atque ita verbis parum exculta eſſet oratio ejus. Verum, ut dixi, interpres egregius ita eum ornavit, finxitque, ut cum Græcis doctus ſolum, eruditusque ſit, nunc hominibus noſtris terſus præterea, elegans, & diſertus videatur.

Præmiſſo Euſebio ſequuntur:

S. Justini Martyris, Tatiani, Athenagoræ, & Hermiæ opuſcula.

Theophili Antiocheni Libri *de fide ad Autolycum.*

Clementis Alexandrini *Exhortatio ad gentes*, & Libri *Stromatum.*

Tertulliani *Apologeticus: Ad nationes: De Reſurrectione Carnis.*

Origenis libri *contra Celſum.*

Minutii Felicis *Octavius.*

Arno-

ARNOBII Libri *contra gentes.*

S. CYPRIANI Tractatus, *quod Idola Dii non ſint:*

S. ATHANASII orationes *contra gentes*, & *de Incarnatione.*

S. GREGORII NAZIANZENI orationes *adverſus Julianum*: & *de Theologia.*

S. AMBROSII Epiſtolæ duæ *contra Symmachum.*

PRUDENTII opus *contra* eundem *Symmachum.*

S. CHRYSOSTOMI liber *de S. Babyla adverſus gentiles: Demonſtratio*, *quod Chriſtus ſit Deus*: ſed etiam in *commentariis*, & *Homilis* multa habet hujus argumenti.

RUFFINI *Expoſitio in Symbolum Apoſtolorum.*

S. AUGUSTINI libri *de vera Religione*: *de civitate Dei*: *de utilitate credendi*: *de fide rerum inviſibilium*: *contra epiſtolam Fundamenti*: *Epiſtola* 3. *nunc* 137. *ad Voluſianum* &c.

S. CYRILLI ALEXANDRINI libri *contra Julianum* Imperatorem.

THEODORETI ſermones *de Providentia*: & libri *de græcarum affectionum curatione.*

NEMESII libellus *de Homine.*

ÆNEÆ GAZÆI *Theophraſtes*, ſeu de animarum immortalitate, & corporum reſurrectione.

S. DAMASCENI libri *de fide orthodoxa.* *

* Eruditiſſimus Virorum Joannes Albertus Fabritius *Volumini VII. Bibliothecæ græcæ* inſeruit *Catalogum quinquingentorum circiter ſcriptorum, qui veritatem Religionis chriſtianæ adverſus Atheos, Deiſtas, Judæos, & Mahumedanos aſſeruerunt.* Et mox ſeorſim: *Delectum argumentorum, & ſyllabum ſcriptorum, qui veritatem Religionis Chriſtianæ adverſus Atheos, Epicureos, Deiſtas, ſeu Naturaliſtas, Idololatras, Judæos, & Mahumedanos lucubrationibus aſſeruerunt*; Præmiſſa ſunt Euſebii Cæſarienſis *Proœmium & capita priora Demonſtrationis Evangelicæ*, quæ in editionibus hactenus deſiderantur. *Hamburgi* 1725. *in* 4.

In his convulſa dudum, atque protrita ſunt omnia, quæcunque hujus temporis grandes animæ, & *ſpiritus fortes* contra Religionem veluti recens procudiſſe ſibi videntur; ut mirum ſit ſane, quomodo vel ipſi tam putidas, tam antiquatas merces afferre poſſint: vel nos aliunde quam his e ſcriptoribus confutare eos velimus. Vide virum Clariſſimum Nicolaum le Nourry *Præfatione Tomi II. Apparatus*: item *Diſſertatione I. capite* 1. §. 3. *Tomi I.*

§. III.

Ordo legendi Opera Patrum Dogmatica adverſum Hæreticos, & Schismaticos.

17. Supereſt, ut de iis quoque dicam, quæ contra Hæreticos & ſchismaticos legi apud Patres debent. His enim maximam partem illorum opera conſtant. Et *primo* quidem videndi Catalogi Hæresum; uti ille ad finem *Præſcriptionum* Tertulliani: S. Philaſtrii in Libro *de hæreſibus*: S. Auguſtini *de hæreſibus ad Quodvultdeum*: Theodoreti in *libris hæreticarum fabularum*, qui velut compendium divi Irenæi ſunt. Item Catalogus S. Joannis Damaſceni, & Tractatus Leontii Byzantini monachi *de ſectis hæreticorum*. Poſt hos *ſecundo* loco volves S. Irenæi libros *contra hæreſes*: S. Epiphanii *Panarium*, & Euthimii *Panopliam*. Hi enim non contenti hæreſes refere, easdem etiam confutant; etſi breviter plerumque id faciunt, neque æqualem elegantiæ curam habent. *Tertio* loco adeundus Tertullianus de *Præſcriptionibus adverſus hæreticos*: Vincentius Lirinenſis in *Commonitorio*: SS. Cyprianus * & Auguſtinus *de unitate Eccleſiæ* & *contra Epiſto-*

* **Quo etiam facit ejusdem Cypriani Epiſtola percelebris ad *Antonianum*.**

Epiſtolam Manichæi. Hæc enim generatim quam maxime contra hæreſes æque ad ſchiſmata valent.

His, quæ ſunt breviſſima, ad finem perductis, ad ipſas ſingillatim hæreſes procedere licebit. Illi autem Patres conſulendi de qualibet, qui in oppugnatione ejus verſati ſunt ex inſtituto, aut certe in profliganda ea principes & antelignani extiterunt. En Indicem eorum, non prolixum illum quidem, ſed accuratum nhilominus, & ſtudioſe contextum; quem ſi conſulas, alio Lectionis duce jam non magnopere indigebis.

Contra PRIMORUM HÆRETICORUM ſomnia, atque ſpurcitias *S. Ignatius* Martyr: *S. Juſtinus: S. Irenæus* & *Tertullianus.*

Contra NOVATIANOS ***S. Cyprianus: S. Pacianus: S Ambroſius.***

Contra SABELLIANOS ***S. Athanaſius***, & ***S. Baſilius*** magnus.

Contra MANICHÆOS *S. Auguſtinus:* ***Titus Boſtrenſis.***

Contra DONATISTAS *S. Optatus Milevitanus*, & *S. Auguſtinus.*

Contra ARIANOS *S. Athanaſius: S. Hilarius Pictavienſis: S. Gregorius Nazianzenus: S. Phœbadius: Lucifer Calaritanus: S. Ambroſius: S. Auguſtinus: S. Fulgentius.*

Contra AËTIUM, EUNOMIUM & ANOMÆOS *S. Baſilius* magnus: *S. Gregorius Nazianzenus: S. Gregorius Nyſſenus: S. Chryſoſtomus.*

Contra MACEDONIUM *S. Athanaſius: S. Baſilius* magnus: *S. Gregorius Nyſſenus: S. Ambroſius.*

Contra APOLLINAREM ***S. Athanaſius: S. Gregorius Nazianzenus: S. Gregorius Nyſſenus: S. Ambroſius: S. Fulgentius: Leontius Byzantinus: S. Joannes Damaſcenus.***

Contra

Contra AËRIUM nullus ex profeſſo ſcripſit. Itaque videndus *S. Epiphanius, hæreſi* 75. & *S. Auguſtinus* Libris *de hæreſib. ad Quodvultdeum*, atque de *Cura pro mortuis*. Denique *S. Ignatius* Martyr, & *Cyprianus* in epiſtolis aliquot, in quibus agunt de poteſtate Epiſcopali.

Contra PRISCILLIANISTAS non niſi obiter ſcriptum, ut quæ colluvies quædam complurium hæreſum, & Gnoſticorum maxime genimen eſſet.

Contra HELVIDIUM *S. Hieronymus*.

Contra JOVINIANUM *S. Hieronymus*: *S. Auguſtinus*, & breviter *S. Ambroſius*.

Contra VIGILANTIUM *S. Hieronymus*.

Contra ORIGENISTAS *S. Hieronymus*: *S. Auguſtinus*: auctor Tractatus *ad Mennam*, nomine Juſtiniani Imperatoris; &, cujus perpauca extant, *Theophilus Alexandrinus*.

Contra PELAGIANOS & SEMIPELAGIANOS *S. Auguſtinus*: *S. Hieronymus*: *S. Proſper*: *Marius Mercator*: *S. Innocentius Papa*: *S. Fulgentius*: *Joannes Maxentius*.

Contra PRÆDESTINATIANOS *Anonymus* paulo poſt obitum S. Auguſtini.

Contra NESTORIANOS *S. Cyrillus Alexandrinus*: *S. Caſſianus*: *S. Leo*: *S. Proclus*: *Marius Mercator*: *Theodoretus Ancyranus*: *Leontius Byzantinus*.

Contra EUTYCHIANOS *S. Leo*: *S. Chryſologus*: *Theodoretus*: *Caſſianus*: *Gelaſius*, Papa an *Cyzicenus*? *Vigilius Tapſenſis*.

Contra ACEPHALOS *S. Anaſtaſius Sinaita*: *Joannes Maxentius*: *Ferrandus Diaconus*: *Ruſticus Diaconus*: *Leontius Byzantinns*.

Contra MONOTHELITAS *S. Maximus* Martyr: *S. Damaſcenus*: *S. Sophronius Hieroſolymitanus*.

Contra MAHOMETANOS *S. Damaſcenus*, ſolus ex antiquis, idque perparce.

Contra

Contra Iconomachos *S. Damaſcenus: S. Theodorus Studita: S. Nicephorus* & *Germanus*, Patriarchæ Conſtantinopolitani: *Leontius Neapolitanus: S. Agobardus.*

Contra Felicem & Elipandum *Alcuinus: Etherius* & *Beatus: Paulinus Aquilejenſis: Agobardus: Hadrianus I.* Papa.

Contra Errores Armenorum *Theorianus* quidam Græcus.

Contra Schismaticos Græcos *S. Anſelmus: Humbertus Cardinalis: Hugo Etherianus.*

Contra Berengarium *Guitmundus Averſanus: Algerus: Lanfrancus.*

Contra Petrobrusianos & Henricianos *Petrus Cluniacenſis*, dictus, *Venerabilis*, & *S. Bernardus.*

Contra Arnaldistas *S. Bernardus.*

Contra Waldenses *Ekbertus* Abbas: *Eberardus* de *Bethunia: Bernardus* abbas *fontis calidi* &c.

Non dubito, fore, quibus iſta de Hæreſibus Lectio minus utilis poſſit videri: præſertim ſi divinis in rebus quadriennio exercitati in omnem vitam arma, & comportaſſe ſe plurima putant, & ſecum geſtare etiamnum. His ergo minime refragabor. Sed neque mihi repugnent, cui non ipſorum duntaxat, ſed omnium hic erat ratio habenda. Mea igitur maxima pace, ut tempori parcant, contenti ſint iis, qui non ſenſim monſtra opinionum jugularunt, ſed ſimul univerſis bellum indixerunt *. Porro, qui otium uberius ſunt nacti, his præcipue erroribus inſiſtant, qui habent cum noſtris affinitatem aliquam, quorumque præſentior uſus eſt. Cæterum qui, quidquid hæreticos

* Scilicet ante dictos Tertullianum, Vincentium Lirinenſem &c. Quibus maximo jure eſt addendus divus Cyrillus Hieroſolymitanus.

ticos tangit, dimittere vellet in legendis Patribus, næ ille non ſolum in præcipuis eorum operibus hoſpes erit: verum etiam in aliis offendet haud raro, imo interpretem deſiderabit.

18. Habemus jam inſtructiſſimum oratorem, qui neque in *Myſteriis*, neque in *ſcripturis* explicandis aliquando impingere poſſit. Theologia ſtricte dicta, ut traditur in ſcholis, huc minime ſpectat; quod alibi diximus. Tamen ejus ſtudioſi vel, hujus capita omnia in *Locis* noſtris *communibus* reperient; ubi *Dogmatica* non minus tractamus, quam quæ *Mores* habent; quod docent Tituli in operis conſpectu poſiti. Pro eadem ſacra ſcientia conſulere potes Ludovici Carbonis *Libr. VI. productionem ad S. Theologiam*: Joannis Molani *Catalogum materiarum ab auctoribus tractatarum*: Ludovici Eliæ Dupini *Bibliothecam Theologicam*, cum notis P. Zachariæ, *Tomo XIII. Theſauri Theologici*: *Indiculum Inſtitutionum Veterum Patrum, quæ aperte & breviter exponunt Theologiam ſive Theoreticam, vulgo ſpeculativam, ſive Practicam*, editum a Cardinale Joſepho Maria Tommaſi, doctrina non minus, quam ſanctimonia claro, *Romæ* 1701. *in* 4. Item Dominum I. Grancollas Doctorem Theologum in opere: *Critique abregée des ouvrages des aucteurs Eccleſiaſtiques*, *Pariſiis* 1716. * Ubi tamen recentiores etiam auctores cum antiquis illis adducere ſolet. Rurſum *Prodromum II. Theologiæ Dogmatico-Scholaſticæ* P. Joannis Bapt. Gener, in quo opere recentiſſimo uti ex Scholaſticis & Eruditis, ita & e Patribus Bibliothecam nobis Theologicam ſumminiſtrat.

CAPUT

* De hoc lege Diarium Trivultienſe *ad annum* 1717. *pag*. 1098.

CAPUT IV.

Editiones, quæ ceteris præferendæ ſunt in legendis Patribus.

19. Jam manum de tabula amoveram, cum opportune illud occurrit, ut indicarem Lectoribus, quas tandem ſingulorum Patrum editiones oporteat adhibere. Multum enim illæ diſtant: & recentes, præterquam quod ordine temporum collocant omnia, ex emendatione doctorum virorum, & codicum complurium collationibus, longe ſunt antiquis correctiores. Maxime autem circa Græcos id advertendum, quoniam (ut Libro primo dictum) refert quam maxime, quem quis interpretem ſit nactus; propter ingentem ſcilicet verſionis eius difficultatem. Accedit, quod multa hoc ſæculo, quæ perdita majores putabant, inventa feliciter, & ex angulis ſcriniorum protracta ſunt. Hæc autem fruſtra apud alium, quam editorem hodiernum requiras. Ergo hi priores poſtponendi fere ſunt ab eo, qui majore ſtudio ad Patrum eſt lectionem acceſſurus. Sed & aliunde Editoribus quibusdam, ſive veteribus illis ſive novis, non eſt tam temere confidendum. Et de Erasmi quidem editionibus id jam Carriſius, multique alii adverterunt. De Rigaltio idem Labbeus, & le Nourry admonent. De Quesnello & Clerico pœne innumeri ſunt conqueſti. Noviſſimum vero ſpecimen Cramerus dedit, quo magiſtro Joannes Chryſoſtomus germanice loqui haud contentus, etiam Lutherice declamat, quanta ſua injuria, tanta ſubleſti interpretis labe atque infamia. Id ergo omni ætate Editoribus commune fuit, uti imponerent paulo minus eruditis. Quemadmodum enim Erasmus ex primis unus fuit, ſic Rigaltius ex mediis, Quesnellus, Clericus, Cramerus inter ultimos extiterunt. Scilicet ex adjunctis rerum ſpecialibus ferenda

Minutii Felicis longe optima, quam Joannes Daviſius *Cantabrigiæ* 1711. ſecundis curis adornavit. Nuperam a Jo. Gottlieb Lindnero *Longoſaliſſæ* 1760. curatam nondum ego vidi.

S. Cypriani, a celebri Stephano Baluzio cœpta, finita a Prudentio Maran, Maurino, *Pariſiis* 1727.

Lactantii a Joanne Bapt. le Brun, & Nicolao Lenglet du Fresnoy, *Pariſiis* 1748.

S. Paciani a Cardinale de Aguirre *Tomo II. Conciliorum Hiſpaniæ*, *Romæ* 1694. cum notis. Deeſt tamen *Sermo* brevis *de Baptiſmo ad Catechumenos*.

S. Ambrosii a Jacobo du Friſche, & Nicolao le Nourry, Maurinis, *Pariſiis* 1686. Ludovicus l'Emeraubt, ejusdem inſtituti, promiſit aliam, meliorem illam, non ſplendidiorem, verum iſta nunquam comparuit.

Sulpitii Severi ab Hieronymo de Prato, Oratoriano, *Veronæ ab anno* 1741. partem ultimam nusquam hactenus ad manum habui. Sed nec ſcio, an ad finem ſit perducta.

S. Hieronymi a Dominico Valarſio, Presbytero Veronenſi, *Veronæ ab anno* 1730.

S. Augustini a Franciſco Delphau, Thoma Blampin, Petro Coutant, Claudio Guesnie, Maurinis, *Pariſiis ab anno* 1679. Addidit aliqua Godefridus Beſelius, Abbas Gottwicenſis, *Viennæ Auſtriæ* 1733.

S. Paulini a Ludovico Antonio Muratorio Bibliothecario Eſtenſi, *Veronæ* 1736. Addenda quædam & corrigenda ex *faſciculo Anecdotorum*, quem *Romæ* 1756, edidit Joan Aloyſius Mingarellius, Canon. Regular.

S. Eucherii una cum *Homiliis* Eusebii Gallicani, quarum multæ ejusdem ſunt auctoris, *in Bibliotheca maxima Lugdunenſi* To-

mo VI. * Sine his optime Eucherium edidit Paulus Manutius *Romæ* 1564.

Salviani a Stephano Baluzio tertia vice *Pariſiis* 1684. Audio, eundem jam anno 1729. rurſus editum *Piſauri* a Demetrio Barbulio, Societatis Jeſu.

S. Vincentii Lirinenſis adjuncta eſt editioni Salviani, additis etiam ad finem *Concordantiis*. Sed hanc ego editionem nusquam vidi.

S. Leonis Magni a P. Petro Thoma Cacciari, Carmelita, *Romæ ab anno* 1751. quam mox ſecuta eſt alia editio *Veneta*, a fratribus Ballerinis, Presbyteris Veronenſibus, curata, ab anno 1753. atque hæc maxime eruditis ſatisfecit.

S. Bernardi a Joanne Mabillonio, Maurino, *Pariſiis* 1719. Veneta 1726. ac 1727. & ipſa ſat elegans addit auctarium inſigne ex Edmundi Martene *veterum Scriptorum & Monumentorum collectione.*

Ex Græcis.

Clementem Alexandrinum accuratione ſumma emiſit Joannes Poterus, Epiſcopus Oxonienſis, *Oxonii ex Theatro Sheldoniano* 1715.

Origenem Carolus de la Rüe, Maurinus, *Pariſiis ab anno* 1733. demortuo auctore completa eſt editio a Nepote ejus 1759. *Hexapla* vero jam edidit Bernardus de Montfaucon, itidem Maurinus, *Pariſiis* 1713.

S. Athanasium laudatus modo Bernardus de Montfaucon *Pariſiis* 1698. Idem eundem auxit in *Collectione nova Patrum Græcorum Tomo II. Pariſiis* 1707.

S. Ba-

---

* Sunt autem tam in hac Bibliotheca, quam in altera *Colonienſi* ex recenſione Andreæ Schotti Soc. Jeſu, qui & auxit illas, & emendavit.

S. Basilium M. Julianus Garnier, Maurinus, *Pariſiis ab anno* 1721. hoc autem morte ſublato opus abſolvit Prudentius Maran, ejuſdem Congregationis.

S. Gregorium Nazianzenum Jacobus Billius Prunæus, S. Michaelis in Eremo Abbas, *Pariſiis*, ſed anno 1609. Recuſa eſt editio *ibidem* 1630; ſed prioris laudem non eſt aſſecuta, novam a Franciſco Louvard, Maurino, promiſſam dudum eſt, quod deſperavimus. Ejus loco alia prodiit *Venetiis* 1754. ubi quidem a Jacobo Tollio, & Ludov. Antonio Muratorio ſupplentur non pauca; ſed omiſſo textu Græco non niſi Latinus nobis Gregorius exhibetur.

S. Gregorium Nyssenum Ægidius Morellius *Pariſiis* 1638. ſed præfertur editio prior Novelliana *ibidem* 1615. curante Frontone Ducæo, Societatis Jeſu, cui addenda appendix, quæ itidem *Pariſiis* 1618. lucem aſpexit. *

S. Asterium Amasenum partim Franciſcus Combeſis, Dominicanus, in *auctario I. Patrum græcorum Pariſiis* 1648. partim Joannes Baptiſta Cotelier in *Monumentis Eccleſiæ Græcæ Tom. II.* 1681, & *Pariſiis* iterum 1725.

S. Joannem Chrysostomum Bernardus de Montfaucon, Maurinus, *Pariſiis ab anno* 1725.

Synesium Dionyſius Petavius, Jeſuita, *Pariſiis* 1633, recognita, auctaque editione. Nam ea, quam *ibidem* 1612. ediderat, vitio operarum non omnem laudem tulit.

S. Isidorum Pelusiotam collectum ſimul dedere præla Pariſina 1638. nam ante non niſi partes ejus a Jacobo Billio, Cunrado Rittershuſio,

* Vide præterea *Notam* Dominici Manſii ad *Natalem Alexandrum Sæculo IV. cap. 6. art.* 25. Seu potius, quæ nos ipſi ſuperiore Libro *Diſſert. de Eloquentia ejuſdem S. Patris cap.* 3. dicebamus.

Andrea Schotto ſingulatim erant emiſſæ, Addendæ ſunt *Collationes Iſidorianæ* Petri Poſſini, Jeſuitæ.

S. Nilum nemo adhuc editione plena emiſit totum. Legatur interea in *Bibliotheca maxima Lugdunenſi.* Etſi autem Petrus Poſſinus & Leo Allatius præclare in eo ſunt verſati; tamen Joſephus Maria Suareſius, Epiſcopus olim Vaſionenſis, qui cetera adjecit, modicam ſibi in vertendo æque, ac recenſendo exiſtimationem comparavit. Optandum maxime, ut novis curis ſanctiſſimus & graviſſimus Pater ederetur.

Theodoretum recenſuit Jacobus Sirmondus, Jeſuita, *Pariſiis* 1642. Tomis quatuor, cui quintum adjecit Joannes Garnerius, ejusdem Societatis, qui tamen primum a morte auctoris prodiit *ibid.* 1684. curante Joanne Harduino, itidem Jeſuita; ſed quod dolendum, typi prioris neque forma, neque elegantia ſervata.

S. Joannem Dmmascenum Michael le Quien, Dominicanus, *Pariſiis* 1712.

Georgium Nicomediensem Franciſcus Combefis in *Auctario novo*, *Pariſiis* 1648; cujus tamen ratio interpretandi, ut in omnibus aliis, ita & in iſto auctore ſane compluribus minime ſatisfecit.

§. II.

Optimæ Editiones reliquorum Patrum.

Ex reliquis Patribus innumeri ſingulatim ſunt emiſſi, cum ergo omnes habere nequaquam poſſis, at præcipuos habere nobis ſufficit, quod plura hic præſtamus, quam debemus. Nullo autem diſcrimine Latinos, & Græcos adducam; ſufficit enim ad uſum commodiorem ſerie alphabeti eſſe diggeſtos.

Æneas

Æneas Gazæus editus eſt a Gaſpare Barthio, nobili Brandenburgo, græce & latine, cum *animadverſionibus & notis Lipſiæ* 1658.

Agobardus a Stephano Baluzio *Pariſiis* 1666.

Alcuinus ab Andrea Ducheſnio *Pariſiis* 1617. adde *confeſſionem* a Franciſco Chifletio editam. Novam parat editionem Celſiſſimus ad S. Emerani Ratisbonæ, certe imagines ad ornatum ejus æri inciſas, ipſe vidi.

Amalarius non eſt collectus, nec *Trevirenſis*, nec *Metenſis*.

Amulo a Stephano Baluzio, Agobardo ante dicto ſubjectus, in eadem Editione.

Amphilochius a Franciſco Combefis, Dominicano, *Pariſiis* 1644.

Anastasius Sinaita *Tomo IX. Bibliothecæ maximæ Lugdunenſis*, collectus, ſed latine tantum. Ante autem a Gretſero, & aliis nonniſi partes ejus editæ. Additur *Liber XII. in Hexameron*, primum ab Andrea Dacier verſus, vulgatusque *Londini* 1682.

Andreas Cretensis a Franciſco Combefis, Dominicano, *Pariſiis* 1644.

Angelomus nondum integer, & collectus.

Anselmus Cantuariensis a nobiliſſimo Gabriele Gerberon, Maurino, auctior *Pariſiis* 1721.

Anselmus Havelbergensis a Luca d'Acherio, Maurino, *Tomo XIII. Spicilegii.*

Anselmus Laudunensis nusquam, quantum ſcio, collectus fuit.

Antonius, Abbas, ab Abrahamo Echellenſi * Maronita Linguar. Oriental. Profeſſore ex Arabico verſus. Et *opuſcula* quidem *Pariſiis* 1646. *Epiſtolæ* vero quadriennio ante prodierunt *ibidem*. Regu-

L 3 las

* Legatur etiam *Nota* Dominici Manſi ad Natalem Alexandrum *Sæculo VIII. cap.* 3. *art.* 7.

las ejus in *Codice Regularum* dedit Lucas Holſtenius.

Antonius Melissa a Frontone Ducæo, Jeſuita, *Pariſiis* 1589. item *græco-latine* a Genevenſibus, unacum *locis communibus* S. Maximi.

Antonius Patavinus *Pariſiis* 1641. a Joanne de la Haye, ordinis Minorum.

Arator promiſſus correctior a Joanne Alberto Fabritio in *Bibliothec. Latin. Tom. II. pagina mihi* 2301. ſed quod in Catalogo operum illum haud reperi, locum opinor fuiſſe nacturum in *Bibliotheca latina med. & inf. ætatis*, hanc autem morte præventus vir egregius non abſolvit.

Arnobius a notiſſimo Claudio Salmaſio *Lugduni Batavorum* 1651. qui tamen male omiſit *Criticum Arnobianum* Joannis Meurſii, *ibidem* 1598. emiſſum.

Arnobius Junior etiamnum diſperſus Editorem exſpectat.

Athenagoras vide infra Justinus Martyr.

Avitus a Jacobo Sirmondo, Jeſuita, *Pariſiis* 1643. cui tamen addenda quædam, cum *ex Tomo I. Miſcellaneorum Baluzii*, tum ex *Tomo V. Spicilegii Dacheriani.*

Bachiarius a Franciſco Florio, Canonico Aquilejenſi, *Romæ* 1748.

Basilius Seleuciensis a Franciſco Combefis in *Eccleſiaſte Græco, Pariſiis* 1674. ſed latine tantum. Græce & latine a Claudio Dausqueio, etiamnum Jeſuita (poſtea enim Societatem reliquit) *Heidelbergæ ab anno* 1602, melius *Pariſiis*, de quo dicetur infra in Gregorio Thaumaturgo.

Beda *Coloniæ* 1688. neſcio cujus opera. Novum Bedæ ordinem præſcripſit Oudinus: quæ vero deeſſent opuſcula, Fabricius indicavit.

Bernardinus Senensis *Pariſiis* 1636. a Joanne de la Haye, Ordinis Minorum.

Boe-

Boethius Severinus a celebri Henrico Lorito Glareano, *Baſileæ* 1570. Libros *de Conſolatione Philoſophiæ*, in uſum Delphini, edidit Petrus Callyus *Pariſiis* 1680. Editio *Lugdunenſis in Batavia* 1671. egregie curata, reliqua etiam opuſcula ſacra adjecit.

Bonifacius a Nicolao Serario, Jeſuita, *Moguntiæ* 1629. alia recens inventa Dacherius *Tomo I. Spicilegii:* Martene *Tomo IX. Scriptor veter.* Petzius *Tomo IV. Part.* 2. *Theſauri novi anecdot.* Vide Manſium in *Nota ad Natalem Alexandrum* de Bonifacio.

Bruno Assensis a Mauro Marcheſio, Congregationis Caſinenſis, *Romæ* 1655. addidit quædam, & integravit d'Acherius *Tomo XII. Spicilegii.*

Bruno Carthusianus a Theodoro Petrejo, ejusdem ordinis, *Coloniæ* 1611. *Profeſſionem fidei*, quam morti proximus vir ſanctus edidit, leges apud Mabillonium *Tomo IV. veter. analector.*

Cæsarius Arelatensis a nemine integer emiſſus. Homiliæ habentur in *appendice Tomi V. operum S. Auguſtini, editionis Maurinæ*. Ex his quatuordecim novæ debentur induſtriæ Baluzii, qui repertas evulgavit *Pariſiis* 1669. reliqua habes *Tomo XXVII. Bibliothecæ Maximæ Lugdunenſis* *.

Cæsarius creditus, S. Gregorii Nazianzeni frater, legendus eſt in *Bibliotheca maxima Lugdunenſi.*

Capreolus Carthaginensis a Jacobo Sirmondo, Jeſuita, *Pariſiis* 1630.

Cassianus ab Alardo Gazæo, Benedictino Belga, *Atrebati* 1628. eadem editio eleganter repetita eſt *Lipſiæ* 1733.

* Juxta Cointium in *Annalibus Francorum ad annum* 526. *uum.* 123. regulæ *pro Sanctimonialibus* & *pro Monachis* leguntur ſatius in *Codice Regularum* Lucæ Holſtenii, ubi optime ſunt editæ.

CASSIODORUS a Joanne Garetio, *Rhotomagi* 1679. Recuſus dein *Venetiis* 1729. unacum *complexionibus*, a Scipione Maffeio primum editis *Florentiæ* 1721.

CLEMENS ROMANUS apud *Patres Apoſtolicos* Joannis Bapt. Cotelier, ultimo editos *Amſtelodami* 1724 *.

COLUMBANUS ABBAS a Patritio Flemmingo, Ordinis Minorum, *Lovanii* 1667.

COMMODIANUS GAZÆUS a Jacobo Daviſio *ad finem* MINUTII FELICIS, *Cantabrigiæ* 1711.

CYRILLUS ALEXANDRINUS a Joanne Auberto, Canonico Laudenſi, *Pariſiis* 1638. cum additamento Balthaſaris Corderii, Soc. Jeſu.

CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS ab Antonio Touttée & Prudentio Maran, e Congregatione S. Mauri, *Pariſiis* 1720.

DAMASUS, PAPA, ab Antonio Maria Merenda, Abbate, *Romæ* 1754. Addenda Criſis *Tomi IX. Hiſtor. Literar. Ital. Libri* 2. *cap.* 1.

DIONYSIUS, dictus AREOPAGITA, a Balthaſare Corderio, Jeſuita, *Antverpiæ* 1634. recuſus *Pariſiis* 1644. & *Venetiis* 1755.

DIONYSII ALEXANDRINI pauciſſima habemus, & hæc ipſa haud collecta.

S. DOROTHEUS a Balthaſare Corderio, Soc. Jeſu, *Antverpiæ* 1646.

DURANDUS TROARNENSIS. Vide infra LANFRANCUS.

EADMERUS additus eſt editioni ſupradictæ S. ANSELMI, cujus & diſcipulus fuit.

EKBERTUS ABBAS *Coloniæ* 1528.

ENNO-

---

* De hac Editione Patrum Apoſtolicorum (ubi primum *Pariſiis* 1672. prodivit) lege *Diarium Trivultienſe ad annum* 1745. *pag.* 1219.

Ennodius a Jacobo Sirmondo, Jeſuita, *Pariſiis* 1611.

Ephrem a P. Petro Benedicti, Maronita, Societatis Jeſu, & duobus Aſſemannis, ejusdem Nationis (Joſepho Simonio, Bibliothecario Vaticano, & Stephano Evodio Archiepiſcopo Apameenſi) *Romæ ab anno* 1734.

Epiphanius a Dionyſio Petavio, Societatis Jeſu, *Pariſiis* 1622. Addidit nuper Librum *de duodecim gemmis ad Diodorum*, & Librum *in Cantica* Franciſcus Fogginius: primum quidem 1743. *Romæ*, altera 1750. *ibid.* Novam ſuadet editionem P. Zacharia *Volumine IV. Hiſtor. literar. Ital. Libr.* 1. *cap. Diſſert.* 3.

Eugenius Toletanus a Jacobo Sirmondo, Jeſuita, *Pariſiis* 1619.

Eulogius Cordubensis *Compluti* 1574. ab Ambroſio Morales, Presbytero Cordubenſi.

Eusebius Cæsariensis nusquam editus integer. *Hiſtoriam* præclare vertit ac recenſuit Henricus Valeſius, *Pariſiis* 1668. recuſam dein alibi, & nuperrime Taurini unacum ceteris Hiſtoricis Eccleſiaſticis græcis. Libros *de Præparatione Evangelica* dedit Franciſcus Vigerius, Jeſuita, *Pariſiis* 1624. Ibidem paulo poſt libros de *Demonſtratione evangelica* neſcio quis alius, verſione Donati Veronenſis retenta *. Librum *contra Hieroclem* vulgavit Godefridus Olearius *Lipſiæ* 1709. Commentarios in *Pſalmos & in Heſaiam* Bernardus de Montfaucon *in collectione nova Patrum græcorum, Tomo II.* Alia quatuordecim opuſcula jam emiſit Jacobus Sirmondus *Pariſiis* 1643. Mitto alia: *de vita Conſtantini,*

* *Initium & finem* horum librorum hactenus deſiderata primus in lucem dedit doctiſſimus Joan. Albertus Fabricius in *Bibliotheca auctorum, qui pro Religione chriſtiana ſcripſerunt,* laudata ſuperius capite III. §. 2.

Orationem in ejuſdem Imperatoris laudem, *Onomaſticon*, Libros *adverſus Marcellum Ancyranum*, *Canones de conſonantia Evangeliſtarum*, *Vitam S. Pamphili Martyris*, *Apologiam Origenis*, pariter diſperſa omnia, Qui tandem miſerebitur ſummi ſcriptoris, & opera totamque varia unum in corpus rediget!

EUTHYMIUS nondum collectus.

FACUNDUS HERMIANENSIS a Gabriele Albaſpinæo *Pariſiis* 1679. retentis Sirmondi Annotationibus.

FAUSTUS REIENSIS, quem Oudinus collecturum ſe promiſerat, nusquam comparuit.

FERRANDUS DIACONUS a Franciſco Chiffletio, Jeſuita, *Divione* 1649.

FIRMICUS a Joanne Wowerio ſæpius. Optime autem accedente cura Jacobi Oiſelii *Lugduni Batavorum* 1652. & 1672.

FRANCISCUS Aſſiſias *Antverpiæ* literis Plantinianis a Luca Wadingo, Ordinis Minorum, 1623. cui, ſaltem ut comites, poſſunt jungi alii tres FRANCISCI:

- - XAVERIUS editus ab Horatio Turſellino, Soc. Jeſu, optime apud Balthaſarem Moretum *Antverpiæ*. Adjecit aliud volumen Petrus Poſſinus, ejusdem Societatis, *Romæ* 1667.

- - BORGIA, a Pronepote ejus cognomine *Bruxellis* 1675. & SALESIUS.

FULBERTUS CARNOTENSIS *Pariſiis* 1608. a Carolo de Villiers, Theologo. Epiſtolam adjecit d'Acherius in *Appendice Tomi IV. Spicilegii*.

FULGENTIUS a Luca Mangeant, preſſo nomine, *Pariſiis* 1684. & *Venetiis* recuſus 1748.

GAUDENTIUS unacum RAMPERTO & ADELMANNO, & ipſis Brixienſibus Epiſcopis, a Paulo Galeardo, Canonico Brixienſi, *Paduæ* 1720.

GIL-

Gilbertus de Hoilandia *Tomo II. operum S. Bernardi*, editionis Mabillonianæ.

Goffridus Vindoscinensci a Jacobo Sirmondo ſæpe dicto *Pariſiis* 1610.

Gregorius Magnus a Dionyſio San-Marthano & Guilielmo Beſſia, Congregationis S. Mauri, *Pariſiis* 1705. *

Gregorius Thaumaturgus a Gerardo Voſſio, Præpoſito Tungrenſi, *Moguntiæ* primum 1604, dein 1621. cum aliis: Macario ſcilicet Ægyptio, Basilio Seleuciensi & Zonara *Pariſiis* recuſus.

Gregorius Turonensis a Theodorico Ruinart, *Pariſiis* 1699. *Annalium* vero Libros ibidem 1738. iterum emiſit Martinus Bouquetius, pariter Maurinus.

Guerricus *Tomo II. operum divi Bernardi*, editionis Mabillonianæ.

Guibertus de Novigento a Luca d'Acherio, Maurino, *Pariſiis* 1651.

Guilielmus Parisiensis a Bartholomæo Feronio, Canonico Carnotenſi, *Aureliæ* 1674.

Guitmundus Aversanus legatur in *Biblioth. Max. Lugdun. Tom. XVIII.* ubi habetur totus.

Haymo hodiedum diſperſus vagatur.

Hermas in *Patribus Apoſtolicis* Cotelerii ſupra laudatis.

Hermias. Vide infra Justinus Martyr.

Hesychius nondum collectus eſt.

Hilarius Arelatensis *Tomo II. operum* S. Leonis Magni, editionis Fratrum Balleriniorum.

Hilarius Diaconus legatur ad *calcem operum* S. Ambrosii, & in *Appendice Tomi III.* S. Auguſtini *nov. Edit.*

Hila-

* Comparuit Romæ 1753. Joannis Hieronymi Gradonici, Clerici Regularis, *Diſſertatio Epiſtolaris, ſecundis curis retractata & aucta, de nova S. Gregorii Magni editione procuranda.*

Hilarius Pictaviensis a Marchione Scipione Maffæi *Veronæ* 1730.

Hildebetus Cenomanensis ab Antonio Beaugendre, Maurino, *Pariſiis* 1708.

Honorius Augustodunensis legatur *Tomo XX. Biblioth. Max. Lugdun.*

Hincmarus Rhemensis a Jacobo Sirmondo, Jeſuita, *Pariſiis* 1655. Auctarium adjecit Ludovicus Cellotius, ejusdem cum Sirmondo inſtituti, *ibidem* 1658.

Hippolitus Martyr a Joanne Alberto Fabricio præclara prorſus editione *Hamburgi ab anno* 1716.

Hugo Lingonensis. Vide infra Lanerancus.

Hugo Victorinus nullam habet probatam Editionem, & merito novam deſideravit Oudinus.

Humbertus Cardinalis, *Tomo XVIII. Bibliothecæ maximæ Lugdunenſis, vel Tomo VI. antiq. Lect. Henrici Caniſii.*

Ignatius Martyr in *Patribus Apoſtolicis* Joannis Bapt. Cotelerii.

Ildephonsus necdum integer, quod ſciam, collectus, etſi haud magno ſtaret impendio.

Innocentius III. necdum eſt collectus.

Joannes Climacus a Matthæo Radero, Societatis Jeſu. *Pariſiis* 1633.

Joannes Marcentius integer in *Biblioth. Max. Lugdunenſi Tom. IX.*

Joannes Sarisberiensis optime hactenus eſt editus *Amſtelodami* 1664. Sed neſcio cujus maxime induſtria.

Jonas Aurelianensis partim in *Spicilegio d'Acheriano Tomis I. & V.* partim in *Bibliotheca maxima Lugdunenſi Tomo XIV.*

Irenæus a Renato Maſſuet, Maurino, *Pariſiis* 1710. In eadem editione, *Venetiis* 1734. recuſa, addita

dita

dita fragmenta a Chriſtophero Matthæo Pfaffio, Cancellario Tubingenſi.

Isidorus Hispalensis a Jacobo de Brëul, Benedictino, *Pariſiis* 1601. recuſus *Coloniæ* 1617. male omiſſæ Præfationes editionis prioris *Madritenſis*. Meliorem editionem nuntiarunt Trivultienſes anno 1759. curandam a Bibliothecario Eſtenſi * & edendam; ſed mihi videre eam in hunc diem nondum licuit.

Ivo Carnotensis a Joanne Baptiſta Souchet, Canonico Carnotenſi, *Pariſiis* 1647. Novam editionem promiſit Joannes Gelé, Maurinus **, ſed, niſi fallor vehementer, promiſſis minime ſtetit.

Juliani duo, Pomerius & Toletanus, non collecti; ſed nec integri.

Justinus Mrrtyr a Prudentio Maran *Pariſiis* 1742.

Juvencus *Altorfii* 1710. confluente multorum cura, Mathiæ ſcilicet Königii, Danielis Omeiſii, Erhardi Reuſchii, Chriſtiani Schötgenii, Joannis Alberti Fabricii.

Lanfrancus a Luca d'Acherio, Congregationis S. Mauri ***, *Pariſiis* 1648. recuſus *Venetiis* 1745.

Laurentius Justinianus juvante Nicolao Antonio Juſtiniano, Monacho Caſſinenſi, meliorem in ordinem redactus *Venetis* 1751. Male tamen omiſſa dubia & ſupoſititia.

Leandri duo tantum extant, & hæc quidem conjuncta.

Leidradus. Vide ſupra Agobardus.

Leo-

* Erat hic Franciſcus Antonius Zacharias, Soc. Jeſu, qui *Venetiis* 1758. editionis proſpectum vulgavit.

** Apud le Cerf in *Bibliotheca Maurina*.

*** Qui poſt in *Spicilegii Tomo IV.* Sermonem ante non editum adjecit.

Leontius Byzantinus necdum fuit collectus. Sed neque Leontius Cyprius, ſeu Neapolitanus.

Lucas Tudensis a Joanne Mariana, Jeſuita, *Ingolſtadii* 1612. Cetera quæ hac in editione non habentur, ſolum hiſtorica ſunt.

Lucifer Calaritanus a Joanne Titio, Epiſcopo Meldenſi, *Pariſiis* 1568.

Lupus Servatus a Stephano Baluzio *Pariſiis* 1664. recuſus non *Antverpiæ*, ut mentitur titulus, ſed *Lipſiæ* 1715.

Macarii ſimul editi ſunt a Joanne Georgio Pritio Theologo Lutherano, *Lipſiæ* 1689.

Marbodus Rhedonensis additus fuit editioni ultimæ Hildeberti Cenomanensis.

Marcus Eremita a Balthaſare Maria Remondini, Zacynthi & Cephaleniæ Epiſcopo, *Romæ* 1748.

Marius Mercator a Stephano Baluzio *Pariſiis* 1684.

Martinus Bracarensis nondum collectus, atque unum in volumen eſt redactus.

Maximus Martyr a Franciſco Combefis, Dominicano, *Pariſiis* 1675.

Maximus Taurinensis a Ludovico Antonio Muratorio *Venetiis* 1748.

Methodius a Franciſco Combefis, Dominicano, *Pariſis* 1644. Addenda Diatriba *de Methodiorum ſcriptis*, aliaque huc, quæ *Romæ* 1656. emiſit Leo Allatius Bibliothecarius Vaticanus. Porro ipſum *Convivium Virginum*, quod ſolum pro ſincero nonnulli habent, cum idem Leo *ibidem eodem anno*, tum Petrus Poſſinus, Jeſuita, Pariſiis 1657. melius multo, nitidiusque quam Combefis ediderunt.

Nicephorus Callistus græce & latine recognitus ſtudio Frontonis Ducæi, Societ. Jeſu, *Pariſis* 1630.

Nice-

Nicephorus Patriarcha maxime indigus editionis novæ; ſed fruſtra eam in hunc diem expectat.

Nonnus Panoplita a Nicolao Abram, Soc. Jeſu, cum notis eximiis *Pariſiis* 1623

Odilo in Bibliotheca Cluniacenſi *Pariſiis* 1614.

Odo Cameracensis in *Biblioth. Max. Lugdunenſ. Tom. XXI.* ſed & Odo Cluniacensis *Tom. XVII.*

Oecumenius a Friderico Morello *Pariſiis* 1631. Græce & Latine. Deeſt Oratio in *Tranſlationem Euthymii* Patriarchæ Conſtantinopolitani.

Optatus Milevitanus a Ludovico Elia Dupino *Pariſiis* 1700.

Orosius inter Opera Auguſtini, Editionis Maurinæ. *Hiſtoria* vero edita egregie a Sigeberto Havercampo *Lugduni Batavorum* 1738.

Paschasius Radbertus a Jacobo Sirmondo, Jeſuita, *Pariſiis* 1618. addenda tamen quædam ex Luca d'Acherio, Joanne Mabillonio, Edmundo Marteneo, & Bernardo Petzio.

Paulinus Aquilejensis a Joanne Franciſco Madriſio, Oratoriano *Venetiis* 1737.

Petus Blesensis a Petro Guſſanville, Presbytero Carnotenſi, *Pariſiis* 1667.

Petrus Cellensis a Renato Ambroſio Janvier. Maurino. *Pariſiis* 1671.

Petrus Chrysologus *Venetiis* 1750. a Sebaſtiano Pauli, Presbytero Congregationis Matris Dei.

Petrus Cluniacensis, ſeu Venerabilis in *Bibliotheca Cluniacenſi.* Adde Epiſtolas duas apud Mabillonium *Tomo III. Analectorum:* & *Diſpoſitione rei familiaris* apud Baluzium *Libro V. Miſcellaneorum.*

Petrus Damiani a Conſtantio Cajetano, Congregationis Caſinenſis, unacum Tomo IV. quo au-

ctum

ctum hunc Patrem bis *Pariſini*, & 1743. etiam *Veneti* emiſerunt.

Philastrius a Paulo Galeardo, Canonico Brixienſi, *Brixiæ* 1738.

Philippus Abbas bonæ Spei *Duaci* 1620. a Nicolao Chammart, ejusdem Collegii Bonæ ſpei Abbate.

Phæbadius a Gaſpare Barthio *Francofurti* 1623.

Photius hodieque fœdum in modum diſtractus, *Myriobiblon* enim Græce Hœſchelius, Latine Schottus edidit. *Epiſtolas* Montacutius. Alii alia vulgarunt, plura ne edita ſunt quidem *.

Polycarpus in *Patribus Apoſtolicis* Cotelerii ſæpe laudatis.

Prædestinatus Anonymi a Jacobo Sirmondo *Pariſiis* 1643.

Primasius a Joanne Gagnæo, Theologo Pariſienſi. *Lugduni* 1543. Ex quo etiam in *Bibliothecas* PP. fuit translatus.

Proclus a Vincentio Riccardo *Romæ* 1630. Et poſt a Franciſco Combefis in *Auctario novo Biblioth. Patrum Pariſiis* 1648.

Procopius Gazæus nondum collectus.

Prosper a Luca Mangeant, qui neque hic nomen adſcripſit, *Pariſiis* 1711. Recuſus eſt *Venetiis* 1744. ſed mendoſiſſime.

Prudentius *Pariſiis* 1687. a Stephano Chamillard, Jeſuita, *in uſum Delphini.* Prudentius alter Tricassinus nondum a quoquam collectus.

Rabanus Maurus *Coloniæ* 1626. a Gregorio Colvenerio, Duacenſis Academiæ Cancellario. Editionem novam deſiderat Clariſſimus Calmet. Et ſane plura ex Sirmondo, Labbeo, Mabillonio, & maxime Baluzio ſupplenda.

Radulphus Ardens *Coloniæ* 1604. neſcio, quo curante.

Ratram-

* Vide Colomeſium in *Diſſertatione de Scriptis Photii.*

Ratramnus hodieque diſperſus apud Gilbertum Mauguinum, Lucam d'Acherium, Caſimirum Oudinum.* Quædam ejus ne lucem quidem viderunt. Solus ſeorſim prodiit Liber *de corpore & ſanguine Domini.*

Regino Prumiensis a Stephano Baluzio *Pariſiis* 1671. & nuperrime a Comite Ludovico Chriſtiani *Viennæ* 1765. de quo *Diarium Trivultienſe in Januario* ſequentis anni.

Remigius Antissiodorensis necdum eſt unum in corpus redactus. Alter Remigius *Lugdunenſis* a Gilberto Mauguino ** *Pariſiis* 1650.

Richardus a S. Victore optime juxta Labbeum editus *Venetiis* 1591. apud Joannem Bapt. Ciotum.

Ruffinus *Veronæ* 1745.

Robertus Pullus ab Hugone Mathoud, Maurino, *Pariſtis* 1655. Deſunt tamen *Sermones de Sanctis*, nondum, quod ſciam, emiſſi.

Rupertus Tuitiensis a Michaële Pleunichio, Bibliopola, & Gregorio Cannoni, Eremita Auguſtiniano, *Venetiis ab anno* 1748.

Ruricius Lemovicensis *Senior* ab Henrico Caniſio datus *Tom. V. Lect. antiq.* & ex illo poſt inſertus *Bibliothecæ Max. Lugdunenſi.*

Sedulius *Halæ* 1704. a celebri Chriſtophoro Cellario.

Sidonius Apollinaris, *Pariſiis* a Jacobo Sirmondo, ſed 1652. hæc enim Editio ab ejus obitu plenius eſt curata a Philippo Labbeo, ejusdem Societatis.

Simon

* Sed ſecundæ auctioris editionis, quam apoſtata curavit in Hollandia, recuſam a Lipſienſibus 1722.

** In *Tomo I. veterum Authorum, qui Sæculo IX. de gratia, & Prædeſtinatione ſcripſerunt.* Ex quo etiam translatus eſt in *Bibliothecam Maximam Lugdunenſem.*

SIMEON JUNIOR a Jacobo Pontano, Jeſuita, *Ingolſtadii* 1603. SIMEON alter METAPHRASTES nondum collectus.

SMARAGDUS non eſt collectus.

SOPHRONIUS deperditus magnam partem; ſed nec illa, quæ extant, collecta.

STEPHANUS TORNACENSIS 1682. *Pariſiis* a Claudio de Molinet, Canonico Regulari.

SYLVESTER II. necdum collectus.

TATIANUS. Vide ſupra JUSTINUS MARTYR.

THEODORUS ABUCARA partim a Franciſco Turriano & Jacobo Gretſero, Jeſuitis, *Ingolſtadii* 1606. partim ab Andrea Arnoldo, Profeſſore Lutherano, *Pariſiis* 1685.

THEODORUS STUDITA a nullo editus integer. Novam editionem ſperavimus a Domnis Touſtain & Taſſin, Maurinis; verum ſpes ea evanuit.

THEODULPHUS AURELIANENSIS a Jacobo Sirmondo *Pariſiis* 1646. Addidere quædam d'Acherius, Mabillonius, Baluzius.

THEOPHANES CERAMEUS a Franciſco Scorſo, Jeſuita, *Pariſiis* 1644.

THEOPHILUS ANTIOCHENUS. Vide ſupra JUSTINUS MARTYR. THEOPHILI autem ALEXANDRINI pauciſſima ſuperſunt, & hæc ipſa diſperſa.

THEOPHYLACTUS *Venetiis* a Bernardo Maria de Rubeis, Dominicano *ab anno* 1754. Editionem hanc necdum vidi; quare neſcio, an Opuſculum de iis, in quibus Latini accuſantur, ex *Faſciculo Anecdotorum* Mingarellii ceteris jam additum fuerit.

THOMAS CANTUARIENSIS opere poſthumo repræſentatus a Chriſtiano Lupo, Auguſtiniano, *Bruxellis* 1682.

THOMAS A VILLANOVA ab Antonino Witte, Eremita Auguſtiniano, *Bruxellis ab anno* 1685. necdum integer.

TITUS

Titus Bostrensis non eſt collectus.

Valerianus Cimeliensis a Jacobo Sirmondo *Pariſiis* 1612. Addenda Apologia Theophili Raynaudi, cum qua & recuſus eſt *Lugduni* 1633.

Venantius Fortunatus a nemine collectus; & miror editionem, quam Labbeus paratam ſe ait habere, impreſſam non eſſe.

Victor Antiochenus a Theodoro Peltano, Jeſuita, *Ingolſtadii* 1579.

Victorinus a nemine collectus.

Vigilius Tapsensis a Franciſco Chiffletio, itidem Jeſuita, *Divione* 1654.

Wallafridus Strabo diſperſus hodieque.

Zacharias Mitylenæus a Gaſpare Barthio, cum Ænea Gazæo. Vide ſupra hoc verbo. Illud diſtat, quod Æneam ipſe vertit, in Zacharia autem verſionem Tarini retinuit.

Zeno Veronensis, *Veronæ* 1730. a Marchione Scipione Maffæi, & fratribus Balleriniis, Presbyteris Veronenſibus. Recuſus eſt *Auguſtæ* a Fratribus Veithiis, additis duobus Opuſculis Franciſci Bonnachi, Sacerdotis Piſtorienſis, 1758.

20. Hæ ſunt probatiſſimæ, quas quidem ego norim, Editiones Patrum; quamquam nec pro his in re qualibet ſine omni exceptione vadem me præſto *. Minime autem omnium, quod Notas attinet. Has enim vel legere ſolum, nec dicam expendere, non unius hominis, imo vero non unius ſæculi negotium fuerit. Caute igitur in iſtis progrediendum, & antequam Editionem tibi aliquam

 pro-

* Diu eſt, ex quo literis ad Socium Trivultienſem datis ardenter non nemo optavit, uti aliquando colligerentur ea, quæcunque ſaltem in optimis editionibus, emendanda reſtant. *Menſe Januario anni* 1745. Nec contentus optaſſe, viam adeo hac in re tenendam ſaltem obiter deſignavit. Lege ſupra, quæ verbo Clemens *Romanus* hoc ipſo in Catalogo adſcripſi.

procures, noſcendus eſt intus, & in cute, quisquis laborem vertendi, edendi, commentandi ſibi ſumpſit: atque in mores, religionem inſtitutumque hohominis ſollicite inquirendum. Quantos initio plauſus editiones quædam exciverunt, quæ poſtmodum idoneis judicibus confixæ palam, deinde ad tenebras damnatæ ſunt! Exemplo ſit Quesnelliana S. Leonis, quæ cum primum *Pariſiis* 1665, & poſt auctior *Lugduni* 1700. prodiviſſet, incredibile eſt, quot brevi emptores, quot laudatores invenerit. Verum ubi oculos, & linguas aliquamdiu pervagata illa fuit: ubi a plauſu, & ardore laudandi paulatim ſe lectores collegerunt, graviſſimis detectis nævis bonorum omnium invidiam incurrit. Itaque laudes venalium ſæpe hominum, & præjudicatis opinionibus laborantium morari minime debemus, etiam hac in parte; Secus enim corruptores peſſimos præcipuis quibusque Editoribus nullo diſcrimine jungeremus. Et Maurini quidem, ingenue loquor, plerique ut ſplendidi, ſic accurati, atque fideles ſunt *. De Billio, Ducæo, Sirmondo, Petavio, Valeſio, Baluzio, Scipione Maffæi, & ſimilibus, multo etiam minus timendum. Ei eorum alias integerrima fama, & falli tales viros eruditio ac diligentia: fallere vero religio & ſingularis probitas nequaquam ſiverunt.

Cæterum inter Editiones, ubi paria ſunt cetera, illas ſemper ſum ſolitus præhabere, quæ una *Textum* & *Animadverſiones* ſubjiciunt oculis. Neque enim parum id impedit Lectorem, ſi volvere folia, ſi vertere, ſi inquirere perpetuo cogitur. Id quod neceſſe eſt fieri, ubi ea, quæ ſcire inter legendum ille debet, poſt finem operis ita ſunt collocata, ut ſæpe

* Videatur le Cerf in *Bibliotheca Maurina*, qui magno candore de collegis ſuperioribus illis ſuis Judicium tulit.

ſæpe nec titulus niſi generalis extet in frontibus paginarum. Quod ſi Editio caret notis, ſi nihil habet, quo obſcura quædam illuſtrari, aſperaque leniri poſſint: tum vero *Hierolexicon* Dominici Macri, multoque magis *Gloſſaria* duo Caroli du Fresnii, a Maurinis 1733. recognita auctaque oportet conſulere. Hæc enim cum alias voces Eccleſiaſticas, tum eas, quæ ſunt Patribus uſitatæ, excutiunt diligenter & magnam lucem etiam ipſis rebus inferunt. Quando autem neque iſti ſunt ad manus, vices ſupplere haud raro poſſit *Lexicon* Drümlii *Latino-Germanicum*, annis abhinc non multis Ratisbonæ vulgatum.

21. Porro quia vel optima Editio nec dum ideo pleniſſima eſt, novis poſtea, novisque opuſculis repertis: non ante ad Patris alicujus Lectionem eſt accedendum, quam aliquis e melioribus Criticis, verbi gratia Dupinus * vel Ceillier ſit inſpectus. Si his careas, vices ſubibit Carolus Sardagna, Societatis Jeſu, cujus *Indiculum Patrum*, in eosdem uſus diligenter collectum, nuperrime audio prodiviſſe. Porro hi monere haud contenti, ſi quid deeſt in Editione, indicant præterea, ubinam, quo in *Theſauro, Spicilegio, Collectione*, vel *Supplemento* id ipſum continuo ſit reperire.

22. De Lectione *generatim* videri poteſt Franciſcus Sacchinus S. J. in erudito & perutili opere *de ratione libros cum profectu legendi.* Joan. Gottl. Heineccius, & Commentator ejus Gesnerus *in Fundamentis ſtyli cultioris, Parte III. cap.* 1. De *Lectione ſacra* Julius Nigronius *Tractat. IV. & V.* Theophylus Raynaudus in *Heteroclitis ſpiritualibus, Parte II. ſect.* 3 *punct.* 5. Preſſius de *Lectione Patrum.* Antonius Poſſevinus *Bibliothecæ ſelectæ Tomo I.*

 Libr. 5.

* Cum *Ponderationibus* tamen *Patrum Benedictinorum*, id quod primo Libro jam admonui.

Libr. 5. *cap.* 24. *& ſeq.* Joannes Mabillon *Tractatu de Studiis Monaſticis*, *Parte II. Cap.* 1. §. 3. *&* 4. Sed & *III. Parte* non ſemel. Natalis Argonenſis *de optima Methodo legendi Eccleſiæ Patres* juſto volumine. Adde eos, qui ſacros Oratores firmant, uti Carolum Regium, Amadeum Bajocenſem, Natalem Alexandrum, Carolum Rollin, Ignatium Wurz, pluresque alios, quos longiſſimum ſit univerſos hic recenſere. Iſti autem jam de omni lectione, jam de ea ſigillatim, quæ eſt in Patribus, ſaltem obiter commemorant. Fuſius id nuper eſt executus Ignatius Weitenauer *Libro XI. ſubſidiorum.*

DISSERTATIO II.

De Ratione Patres *annotandi.*

CAPUT I.

Præludia quædam.

23. Ipſo in limine apud quam plurimos intelligo me offenſurum; quod audiunt ſcilicet *Excerpta* ſuadere me, quæ ſupervacua eſſe, imo detrimentum literis omnibus inferre perſuaſiſſimum ipſi habent. Dicunt autem, quod ubi adverſaria memoriæ deberent ſervire, eique velut ſuppetias ferre, tantum ab eo abſint, ut potius recordandi negligentiam, atque adeo oblivionem inducant, qui enim omnia in chartas conjicit, in ſuis illis literarum monumentis ſpem ponit, putansque aſſervata tuto eſſe, quæ ſepoſuit, ſapientiam ſolis in membranis circumfert; quaſi quod illis commiſerit ſemel, animo quoque ipſi commiſiſſet. Quid ergo, inſtant ulterius, quid ſi aquis hauriantur Commentarii: ſi igni, ſi tineis in prædam cedant: ſi furto ſubleganțur? Nempe tum iſtud dicas his

Col-

Collectoribus, quod olim neſcio cui librum, in quem omnia retuliſſet, deperditum lamentanti Philoſophus reſpondebat: *Atqui iſta oportuit animo committere, non chartis.* Sed ut candide loquar, utcunque ſpeciem veritatis aliquam hæc præferant: aliud profecto haud conficiunt, quam non eſſe ſcientiam unice in adverſariis reponendam, eaque memoriæ perfugium, non ipſam exiſtimari memoriam oportere. Scriptor illuſtris Franciſcus Baco de Verulamio, Angliæ Cancellarius, qui *Epitomas* & *Collectanea* ſæpe commendat, *Libro V. de augmentis Scientiarum cap.* 5. appoſite in rem noſtram ita habet: *Neque tamen me fugit, quod relatio eorum, quæ legimus, aut diſcimus, in Locos communes damno eruditionis ab aliquibus imputetur; ut quæ lectionis curſum remoretur, & memoriam ad feriandum invitet. Attamen quoniam adulterina res eſt in ſcientiis præcocem eſſe, & promptum, niſi etiam ſolidus ſis, & multipliciter inſtructus, diligentiam, & laborem in Locis communibus congerendis magni prorſus rem eſſe uſus, & firmitudinis in ſtudiis dicamus; veluti quæ Inventioni copiam ſubminiſtret, & aciem judicii in unum contrahat.* Porro res illæ quæ uſu conſtant, ac exercitio, uti *ſtylus, eruditio, nervi* & *lumina orationis* velut abire in naturam debent. Hæc ergo velle omnia chartis inſcribere puerile omnino, ridiculum, & infelicis operæ futurum fuerit, quomodo enim turbam eam innumerabilium rerum congreges? quomodo diſpeſcas, quomodo deferas tecum? Verum ut hæc clara, & extra quæſtionem ſunt poſita, ut libentiſſime conceduntur ab omnibus; ſic negamus plane, ac pernegamus, etiam ea, quæ *pro ſtatu* alicujus vel *genio*, vel *officiis ſtudiiſve peculiaribus* conducere poſſunt, eodem quo priora loco, eodem numero eſſe reputanda, nam ut in reliquo negotio literarum, ſic in iſta, quam petimus, indruſtria excerpendi ſummopere res

diſcrepant. Hic ergo nullus dubito, id, quo maxime lectionis fructus ſperatur, in annotatione eſſe ſitum; ut quæ unicum fere contra oblivionem remedium miniſtret, & memoriam ita juvet, ut tamen nequaquam permittat deſidere otioſam. Cum enim fallax per ſe ſit memoria, vagaque & inconſtans feratur, quanto magis onerata fatiſcat, confertaque turbetur neceſſe eſt? S. Auguſtinus, qui tantum memoria valuit, nihilominus inconſtantiam, & defectum ejus queritur *: lapſusque adeo non paucos fatetur in *Retractationibus* ſuis. Ergo Mabillonius *Tractatus ante dicti Parte III. cap.* 14. ad hoc ipſum delapſus, ſapientiſſime animadvertit: „Cum humana memoria anguſtiſſimis ſit concluſa „limitibus, neceſſum omnino eſt, eos, qui nonnihil „in ſtudiis proficere cupiunt, Collectionum ope „huic defectui occurrere. Quin imo vel ipſi, qui „ea eximie pollent, a collectionibus concinnandis „neutiquam debent eſſe immunes. Futurum enim „eſt tandem, ut vel inviti illa priventur, & ingens „earum idearum copia depereat, quas olim mente „conceperant. Paucos profecto novimus, qui annorum circiter octoginta ætatem attingentes, poſſint „de memoriæ indemnitate gloriari; quemadmodum cuidam viro eruditiſſimo dudum feliciter eveniſſe legimus. Ut plurimum enim ſeneſcente vita, „illa quoque nobiscum intercidit. Operæ igitur „pretium eſt, collectiones aliquot conficere, ut quæ „digna notatu inter legendum occurrunt, in iis „exarentur; ne aliquando eorundem penitus oblivisci cogamur; ſi nempe labili, fluctuantique „memoriæ ſolum commendentur. Nedum vero „quæ a nobis leguntur paſſim delet oblivio (quorum tamen denuo meminiſſe poſſumus, ſi eorundem auctorum lectio identidem repetatur) ſed „etiam

* *Libro X. Confeſſionum cap.* 11.

„etiam propriæ, ac ſpontaneæ meditationes memo-„ria interdum excidunt; quas dein incaſſum ſæpe „reminiſci nitimur, ubi ſemel eas calamo notare „neglximus.“ Mabillonio adſtipulatur experientia: & id, quod de ſenibus admonet, apud nullos eſt compertius, quam ipſos illos, qui vitam literis traduxerunt. Petrus Daniel Huetius, ſummum inter Literatos nomen, & hujus non minus, quam prioris ſæculi eximium decus, perrexit equidem ſcribere ad annum ætatis primum, & nonageſimum. Verum undecim ante obitum annis eandem naturæ defectionem eſt paſſus. Corporis habitus firmus, qui nec pertinaci quidem morbo aliquid conceſſerat, memoriam concellit. A quo tempore cum eadem eſſet elegantia in ſcriptis ejus; ordo tamen & accuratio, quæ ſumma olim in eo erant, non uno tantum loco requirebantur. Tandem eo devenit, ut incapax ſcriptionis nexæ ac colligatæ non niſi cogitata quædam ſingularia poſſet literis mandare, quæ & nomine *Huetianorum* data in lucem, fragilis hujus, & caducæ facultatis immortale erunt monumentum Non ſunt ergo audiendi, qui exempla petunt a portentis hominum, non hominibus; iis videlicet, qui lecta, ſemel vel poſita ob oculos conſtantia maxima retinuiſſent ſemper, ac tempore locoque ſuo velut præſentia redhibuiſſent. Tales utique non diffiteor memoriæ ſubſidio nullo indigere. Artem obliviſcendi quædam malle debent, quam omnium omnino recordandi. Verum ipſa inſolentia minime ſinit, uti eos ſequendos nobis arbitremur. Admirandi ſunt; non imitandi. Niſi forte & tu ex eo es numero? Tum enimvero mea maxima pace omittas licet, imo cavilleris, vel utiliſſimas Collectiones. Ego ex ingeniis mediocribus, ex communi debilitate qualescunque ſeu neceſſitates metior, ſeu commoditates. Quod autem univerſe hoc magis conveniat, non poteſt luculen-

tius quam ex uſu inumerabilium ſcriptorum demonſtrari, qui lectionis quam avidi tam tenaces, nihilominus ſubſidium hoc memoriæ ſuæ minime gentium repudiarunt. Id quod *Adverſaria, Epitomæ*, Florilegia, Variantes lectiones, Summaria, Sylvulæ, Loci communes, *Collectanea*, imo ipſæ Bibliothecæ jam per ſe ſatis voce una loquuntur. Non autem nunc gentiles vendito, quos ingenti agmine, certe prolixius, quam par erat, velut optimos teſtes ſolent advocare. Sic *Officia*, M. Tullii non niſi ſententias eſſe e veteribus Philoſophis, & præcipue ex Panætio decerptas: *Noctes Atticas* Auli Gellii ex ſelectis ſeu auctorum locis, ſeu amicorum ſermonibus natas: Plinii *Senioris Hiſtoriam Naturalem* tam varium, tam elegans, tam eruditum opus collectum paulatim ex innumeris libris, & in hunc quem videmus ordinem redactum. Affirmat autem de illo Plinius alter, *Junior* dictus, paucis illis, ſed plane ſignificantibus verbis: *Nihil unquam legit, quod non excerperet.* Quod ſi objicis, ſive in his, ſive aliis auctoribus rariſſime quid deprehendi ex temporum priorum ſcriptoribus mutuatum: verum eſt, vocabula eadem non uſurpant; ſed tanto fidentius rebus ipſis utuntur. Primo enim cum animum ad ſcribendum appellerent, illa omnia, quæ magis ad propoſitum erant futura, providentia admirabili undique congregabant. Tum vero velut in cumulum quemdam aut acervum coacta tam apte tam ordinate componebant, tam ſolerter, tam venuſte exornabant, uti non externa, ſed domeſtica, & proprio cujusque ingenio fuſa viderentur.

Sed, quod hujus eſt loci, magis profecto juverit Scriptores ſacros allegare. Et quidem antiquiſſima fuit eorum conſuetudo, ut literas divinas in communes locos certaque capita partirentur. Hoc Clementis Alexandrini Secundus, & tertius Liber *Pædagogi*: hoc Cypriani *libri tres ad Quirinum:* hoc

hoc Athanaſii *Epitomæ Scripturæ*: hoc alia ejusdem *Synopſis*, quam edito recens Chryſoſtomo habemus; hoc Collectio Auguſtini, cui *Speculi* fecit nomen: hoc alia ejus generis ſane plurima poſſunt teſtari. Sed & Patrum e Patribus ipſis excerpta eo numero hodieque ſuperſunt, ut ſtatim videas, quantumcunque tribuerent lectioni, annotationi tamen nihilo minus tribuiſſe. Clemens Alexandrinus, de quo ſupra eſt dictum, inter cauſas, quibus ad *Strommata* tenenda fuit inductus & illam candore eximio commemorat, quod ſic ſenectuti ſuæ ſubſidium aliquod memoriæ voluerit parare, vivæque illius orationis ſaltem imaginem conſervare, quam annis ſuperioribus ex ore ſapientum excepiſſet *. Euſebius Cæſarienſis *Præparationem* & *Demonſtrationem Evangelicam* potiſſimum ex ſcriptis Ethnicorum: *Hiſtoriam* autem ex diverſis Diariis, & Tabulariis confecit. SS. Baſilius magnus, & Gregorius Nazianzenus juncta opera ex Origene *Philocaliam* quamdam, ſeu illas ſententias excerpſerunt, quæ partim moribus prodeſſe, partim ſacris literis poſſe lucem afferre exiſtimabant. S. Auguſtinus ſine notandi perpetua cura Libros *de Civitate* non dico perficere, ſed ne inchoare quidem meo judicio potuiſſet. S. Caſſianus, S. Martinus Bracarenſis, S. Gregorius magnus, S. Iſidorus Hiſpalenſis, S. Joannes Damaſcenus, Euthymius Zigabenus majorem partem: Antonius vero Meliſſa, & *Catenarum* textores toti quanti *excerptis* conſtant. S. Paterius, & Alulphus (aut ut alii Bruno quidam) opera Gregorii Magni compilarunt. Mabillonius *Tractatu eodem Tomo I. parte 2. cap. 3.* Eugippium addit, Abbatem Campanum, qui totum Auguſtinum ter centum quinquaginta duobus articulis eſſet complexus. Petrum item Abbatem Tripolitanum, qui Com-

* *Libro I. Stommatum cap. 11.*

Commentarios in divi Pauli Epiſtolas ita concinnaviſſet, ut quilibet Lector ipſummet Auguſtinum legere ſeſe, & habere ante oculos arbitretur. Similia de Venerabili Beda, de Floro, de Defenſore Monacho, de S. Platone Archimandrita affirmat. Infra autem *cap.* 6. Tayonum dicit Antiſtitem Cæſar-Auguſtanum, qui medio Sæculo VII. vixit, in quinque libros redegiſſe opera divi Gregorii, qui hujus verbis Theologiam fere omnem ordine pulcherrimo complecterentur. Sed forte hac ipſa de re ſermo infra redibit, cum locos noſtros communes libris quatuor ultimis expromemus,

Quid quod noſtris ſæculis celeberrimas ſcriptiones ſive in Hiſtoriam, & Diſciplinam Eccleſiæ, ſive in Codicem ſacrum, ſive in Dogmata ipſa Religionis præcipue Adverſariis iſtis debemus? *Theſaurus Catholicus* Jodoci Coccii, Petri Caniſii *Opus Catecheticum*, Roberti Perſonii *Directorium hominis*, quod *Reſolutio* vulgo dicitur, Roberti Bellarmini *Controverſiæ Fidei*, Dionyſii Petavii *Dogmata Theologica*, Opera omnia Theophyli Raynaudi, Ludo. Thomaſſini *vetus & nova Eccleſiæ Diſciplina*, Franciſci Amati Pougeti *Inſtitutiones Catholicæ* quid, rogo, niſi excerpta ſunt, ac veluti ſpolia quædam ex Eccleſiæ præſertim Scriptoribus congeſta? Qui libri ſi ſunt omnibus ſalutares, & neceſſarii, id quod nemo diffitetur, quanto magis illi Codices cuique proderunt, quos magno delectu, & maturo judicio pro ſe ipſe confecerit? Sane noſtris multo liberius, facilius, jucundius utimur, atque extraneis: nec quiſquam eandem quam nos viam tenebit in colligendo; minus illa, quæ jam collegerit, ad noſtra unice ſtudia accomodabit. Ad horum ergo, ut reſumamus, quod dictum eſt, ad horum exempla, auctoritatem, atque ſententiam reſpicit rerum prudens æſtimator; non ad auſus, non ad

ad jactantiam, non ad dicteria ſingularium quorundam & exoticorum.

24. Sed quid illis faciam, qui voluptate ſola ducuntur ad legendum, nec niſi ut tempus fallant, volvere ſe libros profitentur? Horum apud me excuſatio valet tantum, quantum poteſt valere; ſed exemplum ut reſpiciam, nemo unus me adducet. Utique ab ejusmodi lectoribus non ſperes, ut quod legerint recondant in ſcriniis; quando nec laborant id in animo recondere. Accedit, quod cum omnem oderint laborem, iſtum, qui præter vigilantiam moram ſcriptionis adjunctam habet, ita averſentur, atque refugiant, ut cum excerpere jubes, idem omnino fuerit, ac ab ipſa etiam lectione dehortari. Cum talibus mihi non eſt ſermo; cum illis loquor, qui lectionem ſtudio diſcendi ſectantur, qui officii cauſa ſuſcipiunt, qui commoda ejus certa percipere in omnem vitam exoptant. De iſto genere palam eſt, ni laborem legendi fruſtra aſſumere, & oblıviſci pleraque malint, in excerpendo quam maxime induſtrios, atque etiam aſſiduos eſſe oportere. At moleſtum eſt hoc memoriæ ſubſidium? quis enim non tædio corripiatur, ſi quoties librum tenet, ſcripto ſeponere ſemper debet, quoties ſe legenti notatu dignius aliquid obtulerit? Et moleſtia quidem quemadmodum leniatur, docebimus poſtea: nunc cætera percenſemus, quæ efficiant tandem, quo minus pæniteat operæ huic negotio impendendæ.

25. Illa ipſa cura ſcribendi hoc conſequimur, ut attentionem animi vehementer acuamus inter legendum. Cavetur enim ex re feſtinatio; quando quæ ſint optima, expendere nobiſcum, noſtraſque copias quodammodo luſtrare oportet. Atque hoc initio capitis ex loco Baconis obiter licuit animadvertere. Sic enim verſamus omnia, ſic libri partes

ſin-

ſingulas excutimus. Quare & verba, & ſententiæ diu ob oculos poſitæ inſiguntur fortius, combibuntur pleniùs, & in ipſum animum quam peniſſime deſcendunt. Quod ſi enim apud externos Demoſthenes, apud noſtros Hieronymus libros integros deſcripſerunt, ut ſic tanto altius iterum, iterumque repetitas res imprimere poſſent; quanto minus ille noſter labor ſit recuſandus, qui non libros, ſed librorum particulas colligit, minore moleſtia, fructu ampliore, atque etiam præſentiore? Legimus paulatim, paulatim ſcribimus, Minuitur liber in horas, dumque decreſcit, ipſe concreſcit fructus, & cumulatur in dies. Eſt autem incredibile dictu, ſi quidquid præclarius occurrit, continenter & accurate conſerves, quantæ brevi opes congregentur, quis doctrinæ, quis eruditionis apparatus inde exiſtat. Ipſe miraberis adeptam ſupellectilem, copiam rationum, diſſerendique mirabilem quamdam facilitatem.

26. Sed finiendum eſt aliquando; neque enim aliud reſtat, quam ut illud uſurpem, quod Coſmus Abbas vir ſanctus idem, ac eruditus ſuaſiſſe Baſilio perhibetur *. Ajebat autem, ut ſi quid de libellis S. Athanaſii inveniret, chartaque præſto non eſſet, vel in ipſis veſtimentis exſcriberet. Id ego inquam de Patribus omnibus dixerim, qui Athanaſio ut rebus aliis non diſſimiles, ſic eloquentia pares, aut etiam ſuperiores interdum extiterunt. Vos autem maxime appello, qui dicere ad populos debetis. Quod ſi enim alii tantum in hoc operæ ponunt; ſi S. Baſilius ipſos juvenes vel profanis e libris ** excerpere, atque ita apes jubet imitari, quæ non

* In *Prato Spirituali* Joannis Moſchi *cap.* 40. *ad finem.* Id quod alibi tertio videlicet libro, cum de magno eo Doctore eſſet ſermo, accurate memoravimus.

** *Homilia de legendis libris gentilium, nunc* 22. *de diverſis* ad adoleſcentes.

non odoris, non coloris ſolum cauſa advolant ad flores, ſed ut mel, ut ceram inde excerpant: quanto magis nos convenit ex SS. Patribus carpere, neque jucunda duntaxat in lectione perſequi, verum & utilitatem ex campis iis, hortisque referre, ubi non timendæ ſentes, non venena cavenda, ubi ſecure complectimur utilia, quin vel ſemel in aliquid noxium incidamus? Venit hic in mentem, quod oratores noſtri lege ad id ſpeciali adſtringantur a Societate; ait enim *Regula IV.* Concionatorum: *Lectioni ſacræ ſcripturæ, ac Patrum præcipue incumbant. Conferet etiam peculiari ſtudio vidiſſe Evangelia toto anno currentia, & in eis ea, quæ uſui eſſe poſſunt, annotaſſe: itemque compendium feciſſe explicationis rerum ad fidem, & Chriſtianam vitam neceſſariarum, atque in communes Locos redegiſſe omnia, quæ ad virtutum commendationem, & peccatorum deteſtationem pertinent.* Et *Regula XI.* Sacerdotum, ubi de confeſſionibus audiendis præcipit: *Contra Singulorum peccatorum ſpecies exempla, & dicta Sanctorum, atque alia ſalutaria remedia comparare ſtudeant,* Vide *Conſtitutionum Parte IV. cap.* 8. *Lit. B. & F.* Item P. Claudii *Inſtitutionem II.* §. 7. & ejusdem *Epiſtolam*, quæ eſt *de formandis concionatoribus.* His præmiſſis jam ad illud aliquando aggrediamur, uti recte ea annotatio, atque ex legibus fiat; quando id præcipuum eſt, quod hic petitur a nobis, & quod ante alia fore tractandum ipſo titulo ſumus profeſſi.

CAPUT II.

Leges in annotando ſervandæ.

Lex I.

27. Ita eſt excerpendum, ut non obvia quæcunque etiam pulchra, ſed eminentia ſolum, ſed admirabilia, ſaluberrimaque ſeligantur. Si quid illu-

illuſtri ſpecie ferit animum, rapitque, huc refer cogitationem, huc ſtudia tua: & diſquire diligenter, ecquo demum loco ejus tibi poſſit uſus venire; ſeu allegare fors placet, ſeu imitatione exprimere. Abſque hoc delectu actum egiſti. Aut cui bono ſcribas, quod a te ipſo deinceps legendum non ſit, propter ipſam rei molem copiam ac denſitatem. Idem eſt mihi ſive nihil, ſive nimium exſcribas; imo hoc deterius puto, quod ſic & ingenium conſumis temere, & perpetuo in negotio operoſiſſime otiaris. Prima ergo cura ſit, ut colligas optima, meraſque gemmas, & purum putum aurum ſeponas. Quod utinam qui pro concionatoribus quaſdam *Sylvas* & *Florilegia* ſcripſerunt, ipſi ante alios præſtitiſſent! Pauci enim excerpta fecerunt egregia, imo inter eos quoque, qui via & ratione reliqua omnia ſunt executi, huc profecto induſtriæ perparum attulerunt; ut foret facillimum oſtendere, ſi viris cetera egregiis detrahere, & vituperio alieno extollere propria animus eſſet. Tu vero exemplis proſice; & cum videas vel doctos homines expectationem hic feſelliſſe, eo majori ſtudio his inſiſte, quæ ſunt primæ notæ, quæ ſtatui tuo præ aliis opportuna: quæ ut verbo dicam, maxime times, ne intercidant aliquando, & memoriæ elabantur. Porro certus ſum, vel ſic cum es maxime delicatus, multa nihilominus imo plurima in commentarios te tuos congeſturum. Quam grandes enim apud Patres ſententiæ, quam alia vivide, eleganter, acute, ſublimiter dicta! De hoc ipſo delectu Mabillonius, *In Auctorum*, inquit*, *præſertim vero Patrum operibus laconica quædam effata leguntur, quæ graves, altoſque ſenſus ſæpe concludunt*: *item reconditiores exprimendi modi, ac politioris eloquentiæ veneres, quarum delectus fieri poterit.* *Ple-*

* Opere, & Loco ſupra laudatis.

Pleraque id genus occurrunt apud Tertullianum. S. Cyprianum, S. Auguſtinum, S. Hieronymum, S. Bernardum, aliosque plures, qui omittuntur. Mox ubi aliqua ejusmodi exprompſit vir clariſſimus, continuo ſubjicit: *Innumera id genus alia poſſent afferri exempla, in quibus elegantia ſtyli, ac ſententiarum ſoliditas mire copulantur; qua ſublata ſola ſuperſunt verborum lenocinia, quæ revera nil aliud ſunt, quam inanis aëris ſonus, attentione noſtra penitus indignus.* Quod autem de ſenſis hiſce, & pronuntiatis brevibus eſt dictum, idipſum multo magis de artificiis quibusdam dicendi, de argumentis, & concluſionibus novis dicendum. Atque ibidem etiam ex iſto genere nonnulla ſaltem obiter delibat Mabillonius.

Lex II.

28. Maxime item curabis, ut ea colligas, quæ ſint pro foro tuo. Excerpant alii alia ex Patribus, quidam Hiſtoriis, quidam Sanctionibus, ac Decretis, quidam moribus & genio temporum eorum inhient: tu tua transſcribe, ea videlicet, quæ ad vitia, ad virtutes, ad dogmata, ad myſteria, & quod ipſum præcipui eſt uſus, contra ætatis noſtræ Infideles, Troſſullos, Ardeliones, Politicos, Nymphas, Charites, Muſas, & ſimilia idola faciunt. *Non eſt quod mireris*, ait Seneca * *ex eadem materia ſuis quemque ſtudiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum. Cum Ciceronis libros de Republica prehendit hinc Philologus aliquis, hinc Grammaticus, hinc Philoſophiæ deditus: alius alio curam ſuam mittit &c.* Quid vero a Sapientibus ipſe vellet excerpi, infra ad epiſtolæ calcem ſubdit. *Illud admoneo, auditionem Phi-*

* *Epiſtola* 108.

Philoſophorum, lectionemque ad propoſitum beatæ vitæ trahendam; non ut verba priſca, aut ficta captemus, & translationes improbas figurasque dicendi, ſed ut profutura præcepta, & magnificas voces, & animoſas, quæ mox in rem transferantur. Sic ita diſcamus, ut quæ fuerunt verba, ſint opera.

LEX III.

29. Sequamur ordinem. Tenere autem poſſumus ſive ordinem *rerum*, ſive *literarum*, ſive *Catechismi*, ſive *Summæ* Angelici, ſive *Decretalium* Gratiani: vel etiam ſpeciatim nunc *Sententias*, nunc *Exempla*, nunc *Documenta*, & *Rationes*, nunc *Affectus* ponere. Nunquam miſcenda ſunt *Dogmatica* cum *Moralibus*, minus *Sacra* cum *Profanis*, ſi quæ ſimul occurrant. *Quidquid Lectione collectum eſt*, ait idem Philoſophus *, *ſtylus redigat in corpus. Apes, ut ajunt, debemus imitari; quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt; deinde quidquid attulere, diſponunt, ac per favos digerunt: & ut Virgilius noſter ait:*

- - - - - liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas &c.

Nos quoque apes debemus imitari, & quæcunque ex diverſa lectione congeſſimus, ſeparare; melius enim diſtincta ſervantur.

LEX IV.

30. Cum longior eſt locus, verba ipſa non excerpantur, niſi paucula forte, quæ habeant ſeu vim aliquam, ſeu gratiam ſingularem **. Quod ſi locus non ultra aliquot verſus excurrit, integer adſcripto capite & libro notandus; ne vel corrumpatur

* *Epiſtola* 84.
** Loquor autem de libris, qui præſto ſint; non de raris & qui ægre poſſint obtineri.

patur facile, vel ab alio, imo te ipſo, cum maxime uſus feret, reperiri non poſſit. Ubi vero non in ipſo auctore, ſed ut ſæpe fit, apud Recentiorem allegatum duntaxat locum legiſti, probe attendas ad allegationem, imo addas non ex fonte, ſed ex rivulo hauſiſſe te, ut cum erit ille expromendus, quæratur ante, ſicque caſtus, ſincerusque, qualis eſt reipſa, fideliſſime exhibeatur. In quo multi peccant, nec feſtinatione ſolum, ſed judicio etiam, & conſuetudine. Imo commune id vitium omnium compilatorum, ut primum aliorum oculis malunt credere quam ſuis. Et hi quidem nunquam ita contemptui erant futuri, ſi excerpere per ſe ipſos, quam quæ alii excerpſerunt, ſolummodo transſcribere maluiſſent. Quod cum minime fecerint, ſeu addant nunc citationem, ſeu omittant, velut ſorices ſuo ſe indicio produnt, atque in ipſis plerumque latebris ſuis illico capiuntur.

L E X V.

31. Nota conſtanter, obliterata prorſus, ac deperdita ratus, quæcunque interrupta opera vel præterieris per ignaviam, vel memoriæ ſoli velut depoſitum aliquod credideris. Id ne fiat, magnopere auctor ſum, ut ne differas diu, neve multa, minus varia accreſcere ſinas. Scio minuere vis laborem; verum auges hoc modo, non minuis; neque alius erit eventus, ſat ſcio, quam ut fugias eum etiam deinceps, & denique poſt omnia penitus omittas.

L E X VI.

32. Cum eſt abſolutus legendo Liber, confice analyſin ſervata & *Capitum* ſerie, & Articulorum. Ingens hujus rei fructus; & magno temporis compendio fit, ſi quod cito vis reperire, in breviario

potius Libri, quam Libro ipſo perquiras. Novus labor! exclamas. Imo non novus, ſed uſitatus, ac more antiquiſſimo dudum receptus. Verum ſit novus tibi, de quo nunquam audieris: ſit, quod unum vis dicere, etiam duplicatus; modo magnus non fuerit. Magnus autem eſſe qui poſſit, quando quidquid oportet annotare, recenti adhuc memoria tenes, habesque exempla prorſus egregia *Bibliothecam* Photii: *Analyſin* Sculteti *. *Synopſes* le Nourrii in *Apparatu:* Dupini in *Bibliotheca nova*: Tillemontii in *Monumentis:* Fleurii in *Hiſtoria Eccleſiaſtica:* Ceillierii in *Hiſtoria Auctorum Sacrorum & Eccleſiaſticorum:* Marechalli in *Concordia Patrum*: Tricaleti in *Bibliotheca Patrum portatili*. Quod ſi ad manus ſunt iſti, ſi tui juris, fruere laboribus eorum, neque jam contrahe, quod multo melius ipſimet contraxerunt. Sed & ibi tuto omittis hanc induſtriam, ubi eam poſſides Editionem, quæ in fronte cujusvis opuſculi Epitomen ejus, aut breviarium repræſentat. Atqui ejus generis complures ſunt; neque ex novis ſolum, & accuratis, verum antiquis etiam, & vitioſis.

LEX VII.

33. Scribendum concinne, & majoribus literis; quia nitor ille illecebra eſt legendi; ut contra ſive deformitas, ſive tenuitas offendit oculos, plurimumque ſolet a reviſendis etiam propriis abſterrere. Quoties ſcribimus in uſum aliorum, ſolicite ejus rei rationem habemus, licet nec magni uſus res fuerint, nec aſſervetur, & ferrat ætatem, quanto magis erit curandum ut id & nobis præſtemus, & ipſis rebus; rebus inquam inæſtimabilis pretii, quas

* Hic tamen auctor, qui opus cetera utiliſſimum ſuis interdum erroribus reſpergit, non eſt absque conſilio, & permiſſu Superiorum uſurpandus.

quas ſtudio incredibili collegimus, quibusque uti in vitam omnem deliberatum habemus?

Lex VIII.

34. Expende tecum, reviſe identidem, narra aliis, quidquid excerpſiſti. Sic enim fiet, ut velut ruminando, & diggerendo in habilem, aptumque corpori ſuccum alimenta hæc ſingula convertas. Recole, quæ Diſſertatione proxima capite primo, lege octava de *Lectione* dicebam; ſunt enim ibi, quæ & huc aptari facillime poſſint. Certe qui neglexerit hanc legem, & ſi priores omnes examuſſim obſervaſſet, parum inde, aut nihil omnino ſolidi fructus reportabit. Quin auſim dicere, melius facturum eum fuiſſe, ſi ſuperſediſſet hoc toto negotio; quia profudit operam, quia inanem ſibi laborem conſcivit, quia longiſſimum, ac forte etiam aptiſſimum tempus rebus aliis eſt ſuffuratus.

CAPUT III.

Artes & induſtriæ quædam ad laborem levandum.

35. Erit forſan, qui hactenus minus benevole audierit de re graviſſima diſſerentem. Atque huic jam ſuaſor adſum, ut laborem, quem ſolum cauſatur, ipſus levet nonnihil. Levare autem poteſt variis modis.

Primo. ſi partem ejus maximam in alterum rejiciat. Quem illum? Notarium vel Amanuenſem. Modicus eſt ſumptus, compendium admirabile, uſusque etiam in publicum ſalutaris; quando pauperes illi, qui ob rei anguſtias, & librorum inopiam perparum in literis promoverent, aliena lectione haud ſecus ac propria ſic proficiunt.

Secunda induſtria ſunt pugillares, ubi uno alterove verbo appicto ſignificas commodiſſime, quid ex eo, quod nunc evolveris, in Collectanea ſit referendum. Alii quod eſt multo facilius, in promptu habent, copiam magnam indiculorum non ex papyro, ſed charta pergamena effictorum; ut primum ergo quid placuit, indiculo hujusmodi locum conſignant, atque ita commodum tempus opperiuntur, ubi omnia ea ſigna paulatim eximant e libro, locos autem conſignatos Adverſariis inſcribant. Qui quidem illud conſequuntur, ut nihil de integro relegere debeant, nihil diutius requirere. Nec timendum, ut moveantur loco ſuo indiculi; firmior eſt membrana, neque tam facile ut tenera papyrus excidit. Sive autem pugillares adhibeas, ſive indiculos, commodum ex utroque ingens exiſtit. Si enim non continuo excerpis, ſed expectas tantiſper, deliberationi eſt locus, atque delectui. Proin cum reguſtati iterum ſunt loci, & magis ſemper magisque arriſerint, tum ſane non potes ambigere, quin notatu ſint digniſſimi, plurimumque aliquando profuturi.

Tertium eſt pro iis, qui labori huic jam aſſueverunt, & extra periculum ſunt inſtar tyronum ſeu inutilia, ſeu minus gravia compilandi. Hi ſane notant ſub ipſa lectione. Iſtuc autem minus difficile ipſe ſum expertus, ut qui raro legi aliter, quin ſcriberem ſimul. Et habui ſane idoneum auctorem, Jacobum noſtrum Lainium qua eruditione, qua doctrina virum! quem idipſum factitaſſe conſtanter comperio; nam una fere ut primum vacabat & librum ſolebat arripere, & ſtylum, negotiis, quibus erat implicatus, incitari ſe ad hanc rem, non ab ea abſterreri paſſus. Quod ſi operæ hujus minus patiens ille fuiſſet, quomodo futurum erat, ut inter tot, tamque diverſas expediendas res, & mutatis plerumque ſedibus, in xeno-

nodochiis verſans opes eas ſcientiarum actuoſiſſimus homo comportaret? Verum inquis, fieri ſæpiſſime poteſt, ut legere ſimul & excerpere nequaquam liceat; quod vel deficit otium, vel nimia eſt copia notandorum. Hoc ſi accidit, ad illud oportet confugias, quod dixi ſuperius, indicemque pergamenum apponas iis, quæcunque collecta cupis: tum vero, ubi magis vacaverit, & eximere notulas poteris, & notata in commentarium transſcribere.

Quartum adjumentum. Unum alterumve volumen papyri in folia formæ quartæ concide. Hæc ipſa folia duas in columnas divide. Dividis autem, ſi junctis eorum angulis chartam complices nonnihil; ſulcus enim papyro vel ſemel impreſſus durat perpetuo. Atque ita momento res peragitur; maxime ſi inſtrumento ad poliendum facto plura ejusmodi folia ſimul complicantur. Et quare duas columnas? ut ſit ſpatium *Titulis marginalibus, citationibus, & maxime Appendicibus* ſuo loco inferendis. Porro in paginæ apicibus ſcribe vocabula quædam magis generalia, alphabetico ordine. Et aliud quidem Alphabetum ſit *Morale*, alterum *Dogmatum.* Aut ſi noſter placuerit modus, tria omnino Alphabeta ſcribantur. Primum materiarum, quæ ſunt profligatæ, atque identidem recurrunt; puta *Adverſa, Amor Dei, Amor proximi, Anima, Avaritia, Blaſphemia, Cælum, Communio, &c.* Secundum materiarum, quæ ut ſint frequentes, tamen non ſunt frequentiſſimæ, uti *Æternitas, Ambitio, Amicitia, Amor proprius, Baptiſmus, Cæcitas ſpiritus &c.* Tertium materiarum, quæ ſint raræ admodum, & vix ſemel iterumque in concionibus pertractentur. Verbi gratia *Abortus, Adulatio, Amor Cognatorum, Patriæ, Nationis, Bacchanalia, Bellum, Bona Eccleſiæ, Choreæ &c.* Si ergo unum folium excerptis jam impletum ſit, aſſume alterum, dein tertium; atque

ita deinceps aliud ex alio ſupperaddes, notatis ſemper ad marginem numeris, ut videas illico, quota ſingula & quali ordine, cum res tulerit, ſint percurrenda. Imo qui volet, in his ipſis Alphabetis, cum accreverint, rurſum poteſt *Dogmata* a *Moribus* ſeparare ita quidem, ut folia ponantur, & non jam tria ſed ſex omnino ſint Alphabeta.

36. Sed dicet hic aliquis, nonne & citra laborem excerpendi, quæ ſint digniora notari poſſint? Equidem plures ſic ſentiunt. Et primi quidem in Librorum *Indicibus* ſpem poſitam omnem habent. Hos conſulunt, hos ſignant, hos duces ubique volunt adhibere. Abſit a me, ut *Indices* ego vituperem, ut laudem potius vehementer; modo fideles illi, nec majore copia, quam ſtudio ſint concinnati. Quo vero tum confugient, cum *Index* omiſſus eſt? quis fructus moleſtiſſimæ inquiſitionis, ſi fallant numeri? ſi quid maxime notandum diligentiam effugerit? ſi ordo turbatus? ſi properata ſint omnia, & opere, ut ſolet tumultuario ſuas in claſſes intruſa? Alii vel ſolent lineas ſubducere ſelectioribus, vel locum integrum ducta ex latere plagula circumſcribunt: Videas, qui & ſummam collocet in margine, & appingant imagines; ſtellæ videlicet, circuli, crucis. aut alterius rei; atque iſta diverſa ſpecie, nunc ſententiam aliquam graviorem, nunc inſigne argumentum, nunc ſplendidam delicatamve locutionem ſignificant? At præterquam quod de omnibus libris peſſime hi merentur, & quæ in iis ſunt belliſſima, commaculant fœdum in modum: in notandis Patribus ob editiones tam pretioſas non dico ferendi, ſed ne audiendi quidem mihi videntur *. Et etſi abeſſet iſtuc,

* In Societate Jeſu diſerte eſt cautum *Regula* 8. *Communium*, ut *nemo in libris, quibus uti licet, nec ſcribat quidquam, nec notam ullam imprimat.*

iſtuc, poſtquam tamen chartas ita illeveris quid alteri, qui eſt poſtea lecturus, reſtabit ſpatii, quod & ipſe referciat literulis, ac lineolis ſuis? Neque cauſeris, formas *Virgularum* & *Aſteriſcorum* jam antiquitus in uſu fuiſſe apud Scriptores. Verum id; non inficior, & de Origene, qui variantes ſcripturæ lectiones ſic diſtinxit, locupletiſſimum teſtem Hieronymum habemus *; qui addit præterea, ejusmodi ſigna in ipſis etiam Græcorum, ac latinorum Poëmatis inveniri. Verum hæ figuræ, quæ vel luminis aliquid indicabant, vel ſententiam configendam, abolendamque monebant, in codicibus manuſcriptis & decore potuerunt effingi, & ſpatium nova appingendi minime ademerunt.

Scribendum itaque extra libros, ac modis ante dictis ſeorſim notanda omnia, quæcunque notatu ſunt digniora. Repetes cantilenam illam tuam; grave hoc dices, moleſtum, intolerabile. Sit ſane, ut ſemel dicam,

> \- - *nil ſine magno*
> *Vita labore dedit mortalibus;*

præſertim egregium, ſingulare, eminens, quale hic pollicemur, ubi ſemper eſt operæ pretium, ubi præſens fructus, qui rependat laborem, imo ſuperet. Cogita etiam, geſtari adverſaria poſſe in ſinu, & ubique, cum librorum nulla eſt copia, velut officinam quamdam portatilem in promptu eſſe. Etſi ergo aliquantum habent negotii, plus multo habent emolumenti, denique incredibilem, cum confecta erunt, afferent voluptatem, nullius ſive laboris, ſive tædii metu abdicandam. Moleſtiam, quod vides, nusquam diſſimulo; verum & præſidia miniſtro, varia illa, & opportuna quæ levent eam initio, poſt minuant, denique penitus depellant.

N 5 Et

* *Epiſtola 135. nunc 106.*

Et quoniam ad finem eſt ventum, minime dubito etiam iſtud hic loci admonere, quod hoc ipſum qualecunque, certe implexum & difficile opus illis potiſſimum induſtriis lector debet, Ut enim apertiſſime confitear, ſine iis jam pridem & tempus, & animus, & eruditio, & conſtantia me penitus defeciſſent.

37. Porro qui hæc uberius mallet tractari, poteſt alios accedere. Plura autem dabunt Laurentius a Villavincentio *Libro III. de formando Theologiæ ſtudio:* Franciſcus Sacchinus ſcriptione ſupra laudata *de ratione libros cum profectu legendi, a capite octavo usque ad decimum quartum* continenter: Hieremias Drexelius in *Aurifodina artium, & ſcientiarum*, toto opere. Amadeus Bajocenſis *in Paulo Eccleſiaſte Parte I. Libro* 2. *cap.* 7. & jam ante *Libro* 1. *cap.* 3. *art.* 4. *Sect.* 4. Joannes Mabillon *Tractatu de ſtudiis Monaſticis Tomo I. part.* 2. *cap.* 14. Natalis Argonenſis *de optima methodo legendi Eccleſiæ Patres, cap.* 5. & 6. *Partis IV.* Joſephus Juvencius *de ratione diſcendi, & docendi, Parte I. cap.* 3. *Art.* 1. Joannes Gottl. Heineccius, ejusque Commentator Geſnerus *in fundamentis ſtyli cultioris Parte III. cap.* 1. Horum aliqui de excerptis generatim, alii ſpeciatim de illis, quæ ex Patribus fiunt, commentantur. P. Creſpetum, cujus normam excerpendi * valde laudat Mabillonius, in hunc ego diem nusquam reperi.

DIS-

* Loco dato. Titulus autem Libri, in quo normam exhibuit Creſpetus, iſte inſcribitur: *De Summa fidei Catholicæ, Lugduni* 1598.

DISSERTATIO III.

De ratione Patres *allegandi.*

CAPUT I.

Poſtulata prævia.

30. Nihil communius Allegatione, qua Oratores virorum gravium teſtimoniis innituntur. Eſt autem ejus præcipuus quidam uſus in *Confirmationibus*, & *Confutationibus*; ubi hoc veluti telo acutiſſimo jam arcentur adverſarii, jam vulnerantur, jam omnino poſternuntur. Vis autem in eo eſt, quod teſtes quaſi aliunde vocantur, novæque ſuppetiæ exurgunt derepente, majus haud dubie, quam ille qui dicit, momentum allaturæ. Non poſſunt mihi crede, non poſſunt illorum dicta tam libere repelli, uti dicta oratoris; ſed propter communem ſenſum, exiſtimationemque probitatis effatorum cœleſtium habent rationem, atque ita perſuadent, ut pudor ſit, imo invidiam res habeat, ſi quis audet refragari. Vide hanc in rem Marcum Tullium *Libro IV. Rhetoricor. ad Herennium*, & maxime *in Topicis*. Nec omitte Quintilianum *Libro V. Inſtitut. Oratoriar. cap.* 7.

Melior longe eſt uſus allegandi in Eloquentia ſacra, cum verba ipſius Dei, qui prima, atque originaria eſt veritas, velut irrefragabile teſtimonium in cauſa affertur. Gravior enim nulla auctoritas; ſed ſumma omnium, & quæ effugio ne quidem locum relinquat. Accedit illud quoque, quod ſacri oratores legati divini ſunt. Legati autem, ut Claudius Aquaviva ** ſapienter advertit, debent ſane quod poſſunt, illius præcipue a quo miſſi ſunt, ipſiſſimis verbis legationem exponere. Non ergo de

** *Epiſtola de formandis Concionatoribus.*

Digitized by Google

de utilitate allegationum hic quæritur; neque enim ſalutares tantummodo, ſed plane neceſſariæ videntur, ut ferendus non eſſet, parumque diſtaret ab impoſtore, qui profeſſus ſe *Verbum Dei* prædicare, nihil e Scriptura, ſed e ſuis omnia promptuariis expromeret, ſicque divinis literis non niſi humanas, atque alienas ſubſtitueret. Nunquam redit vacua vox Omnipotentis; quia adjunctam interiorem gratiam habet, quæ informat, quæ afficiat, quæ moveat: & unica illa phraſis prophetarum: HÆC DICIT DOMINUS EXERCITUUM: & QUONIAM DOMINUS LOCUTUS EST, ſi omitteretur, plurimum ſane roboris, plurimum gravitatis, & efficaciæ deperiret. Accedit & illud, ſane percommodum, quod teſtimoniis ejusmodi diſtinguatur oratio, & novum quodammodo lumen accipiat; haud ſecus ſcilicet ac veſtes auro, prata floribus, cœlum ipſum intermicantibus ſtellis ornatur mirifice, & illuſtratur. Denique ad levandum lectoris faſtidium quam plurimum id valet; quod moleſtum eſt, nullo alio interloquente uni eidemque paulo longius auſcultare. Id quod jam Gillebertus in *Altercatione Synagogæ & Eccleſiæ cap.* 18. atque etiam alii nonnulli ſapientiſſime animadverterunt.

39. Quemadmodum autem ſcriptura propter auctoritatem, quam ſummam habet, perpetuo allegatur: ſic Patres quoque, etſi minoris longe ſunt auctoritatis, teſtes tamen omnium præcipui, datique a Deo Magiſtri habentur, qui *Teſtimonia* ejus prædicare populis debeant, & ſicubi obſcura occurrunt, veluti luce illata explicare. Certe ipſa adeo Concilia ſive particularia, ſive univerſalia ſententias priorum Patrum, quorum codices ante omnium oculos conſueverant exponere, diſertis verbis, & voce Notarii allegabant. Sic, ut alia taceam, in Synodo EPHESINA S. Petrus Alexandrinus Epiſcopus & Martyr, S. Athanaſius, SS. Julius

&

& Felix, Papæ: Theophilus Alexandrinus: S. Cyprianus: S. Ambroſius: S. Gregorius Nazianzenus: S. Baſilius magnus: S. Gregorius Nyſſenus: S. Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus: S. Amphilochius Epiſcopus Iconii publice *Seſſione I. Actionis I.* recitati, atque ex omnium Epiſcoporum voluntate in Acta ſunt relati. Quod ſi autem loci Patrum in publicis, & generalibus Eccleſiæ comitiis adducuntur: quanto magis laudare eos oportet pro concione, in congreſſibus privatarum Eccleſiarum? Hic enim uſus teſtimonii idem: momentum vero, ac pondus multo etiam majus. Quæ ipſa eſt cauſa, cur profani quoque, ut Juriſconſulti, Oratores, Philoſophi, Poëtæ verba Patrum allegant, & ſuis hac ratione ſeu pretium, ſeu etiam ornamentum addunt. Tanto magis concionatores id putabant faciendum; ſummo ſane conſenſu, & ne hæreticis quidem multis exceptis. Si quis ergo ſuperflua judicat hæc teſtimonia, næ is ingens præſidium ultro abjicit, proditor ſuæ cauſæ non injuria appellandus. Erigitur enim auditor ad nomen ipſum alicujus Patris, duplicatque attentionem, & tantum non præſentem ſiſtit ſibi, certe quaſi vocem dicentis videtur exaudire *. Adde cum Joanne Giſbert, æquiſſimo æſtimatore ** quod, uti ars quælibet habet rationem loquendi propriam, ac *terminis*, quos dicunt technicis utitur; ita ſacrum pulpitum: & dictio ex phraſibus, modis explicandi, formulis, figuris, & imaginibus ſcripturæ, & Patrum compoſita proprie ſermo concionatoris eſt. Quam

* Vide Librum noſtrum *primum*; ubi de pondere, quod Patres eloquentiæ addunt, generatim diſſerebam.

** *De Eloquentia chriſtiana*, *cap*. 9 cum quo ſentiunt ceteri Præceptores, quotquot de ea materia paulo accuratius perſcripſerunt. Et mirum ſit profecto, ſupereſſe in hunc diem diſcipulos, qui Patrum effata penitus omnia eliminant e ſermonibus ſuis.

Quam igitur arrogantiam prodũnt, qui hodie ſecus faciunt? prudentiores ſe ducant oportet, non dico ſuis æqualibus, quod tolerabile foret; ſed principibus, ſed ducibus oratorum, qui iſtas auctoritates non ſemel atque iterum, ſed ſemper, ſed avidiſſime in rem ſuam adhibuerunt. Parum eſt iſtuc; non enim in hoc ſolum ſunt injurii; Patres ipſos contemnunt; quando & apud eos eſt frequentiſſima allegatio: ac paſſim non modo eos, qui præceſſerint, verum viventes etiamnum ſolent teſtes advocare. Ita Euſebius, ita Epiphanius, Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus, Gregorius, Damaſcenus aliique ingenti numero; quod occurrit ubique legentibus eos in omni genere cauſarum: ut qui negare id auderet, non poſſet manifeſtius oſtendere, ſe Patrem nullum, aut Scriptorem Eccleſiaſticum evolviſſe. Quæ cum ita ſint, ut ſunt certiſſime, utatur orator teſtimoniis in rem ſuam ſcriptis, & quantum maxime poterit utatur. Nam ut divine ab Auguſtino eſt dictum *: *Quanto ſe pauperiorem cernit in ſuis; tanto eum oportet in iſtis eſſe ditiorem; ut quod dixerit ſuis verbis, probet ex illis, & qui propriis verbis minor erat, magnorum teſtimonio quodammodo creſcat.* Unum ſupereſt, ut quando citat, recte id faciat; non enim ubi haſta Achillis, ibi & manus Achillis: infirmanturque in multorum manibus efficaciſſimæ auctoritates; quia loco non ſuo eas adhibent, atque *adjunctis* ad propoſitum uti non didicerunt. *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum* **. Contra ſi qui rite allegent, plurimum ſemper adjuvabunt cauſam, gratiam & attentionem conciliabunt, ipſamque voluntatem quaſi novis admotis ſtimulis incitabunt. Advertere hoc licuit in Rege concionatorum, Ludovico

* *Libro IV. de Doctrina Christiana cap. 5.*
** *Pſalmo 63. v. 8.*

dovico noſtro Bourdaluæo; de quo Franciſcus Bretonneau, & ipſe præclarus Orator in *Præfatione* illius *operum* illud obſervat: *Sacros libros Patresve citat, ut Theologum decet, & Magiſtrum; tractatum aliquandiu integrum contrahens ad catholicum dogma ſtabiliendum. Ceterum non tam Patrum verba annumerat, quam doctrinam ipſam reddit & momenta rationum. Hæc evolvit, ac explicat, tamque commode ſuo quæque diſpenſat loco; & rebus apte inſerit ſuis, ut dedita opera Patres ita locutos arbitere.* Quibus verbis nihil aliud ille ſignificat, quam Patres ita adhibitos a Ludovico fuiſſe, uti non tam pro ſe, quam ipſius cauſa ſcripſiſſe videri poſſint, Neque recta ſolum, verum & oblique eos adducit Cicero Gallus. Par enim illi ratio, artificium idem, eademque facilitas; ex quibus genium hominis ſublimem, ſolidum, & meditationi deditum ubique agnoſcas. Atque hic dicendi Magiſter ut aliis in rebus, ſic in iſta quoque conſulendus eſt: ac notandæ præterea ſequentes regulæ, quas utiles partim ipſus experiendo didici, partim excogitatas ab aliis multo etiam magis e re fore exiſtimavi.

CAPUT II.

Leges ſervandæ.

Lex I.

40. Primam legem Joannes Gisbert, paulo ante laudatus iſtam ponit, ne citemus hac ſola de cauſa, ut citemus. Id *enim*, ait, *eſſet tempus perdere, morari auditorem, vanumque in morem ſcientiam & lectionem oſtentare Omnis locus, qui non eſt probatio, vel confirmatio, vel ornatus veritatis cujuſpiam Chriſtianæ dimittendus Illi qui nihil præter ornatum habent, ſint rari admodum, paucisque verbis exprimantur. Non enim Orator chriſtianus prodigere orna-*

ornamenta debet, ne ea quidem, quæ ex ipſa ſcriptura, & ex Patribus acceperit.

Addit: *Concionatoribus quibuſdam valde doleret, ſi citandus ipſis eſſet locus, qui non fulgidum quid haberet. Nihil iſti pulchrum putant apud Patres, niſi quod reſplendeat. Grandia eorum ratiocinia, ſolidas cogitationes, elegantes formulas dicendi, verbo, omnia illi dimittunt, ut eorum loco neſcio quem ſplendorem, quos tenues radios ſectentur, quibus oculos debiles perſtringant. Atque iſtuc infirmi eſt ingenii, guſtusque plane depravati* *.

Tum ergo ſolum citare potes, etſi opus non eſſet, ut id faceres, quando invidiam ſententiæ derivas in eum, in quem vix cadere invidia poſſit. Sic P. Bourdoloüe *Parte I. Concionis VII. S. Chryſoſtomus vobis dixit Dominæ meæ! neque vereor ego poſt illum denuo dicere vobis: cura ornandæ animæ, & cura ornandi corporis ejusmodi ſunt, ut ſimul ſtare non poſſint. Certe tempus unius nunquam fuit tempus alterius. Non poſſumus animam ſimul & corpus exornare.*

Lex II.

41. Eſt ejusdem celeberrimi, atque utiliſſimi Scriptoris: *Non quæritur a te*, inquit, *ut ingemines continenter: iſta vox ex ſcriptura eſt; hæc declarandi ratio eſt hujus Patris &c.; quod non niſi ad interrumpendam orationem ſerviret, eamque produceret longius, ac frigidam redderet. Docti, quin illud dicas, per ſe ſatis agnoſcent ſacram originem idiomatis a te adhibiti; ſed & populus perſentiſcet, unde ſit. Gratia quædam, & ſecreta unctio, quæ ab hoc idiomate nequit abeſſe eam in animos vim exerunt, quam aliæ rationes loquendi nunquam efficient* **. Quinam ergo loci velut nomine ſuo allegari debent, ac affirmate expromi? Reſpon-

* *Cap.* 11. dicti operis.
** *Ibidem.*

Reſpondeo ii tantum, qui unice, & proxime ad ſcopum ſunt, rectaque *Propoſitionem* ipſam reſpiciunt, non argumenta ſubſidiaria, non alias quaſcunque res orationi tuæ interjectas. Has enim ſufficit tuiſmet verbis admetiri. Atque in hoc excellunt Galli quidam recentiores, ac maxime Bourdaluæus; qui *textus* quos allegent, eos ſeligunt, ut ne viſo quidem concionis titulo, quamcunque aperias paginam, continuo ex ipſis illis citationibus argumentum ejus ac materiam omnem recognoſcas.

Lex III.

42. Nunquam Patres citandi ſunt velut uno agmine; neque dicendum: *Ita Patres univerſi, ita Græci Latinique Doctores nullo excepto.* Eſto enim ita ſe habeat (nam ſæpiſſime contra ſe habet) quid cogitare debent viri eruditi, ut primum hoc exaudiunt? num imperare ſibi poſſunt, ut credant, te eorum omnium legiſſe omnia, & quæ legeris cepiſſe etiam, atque retinuiſſe? imo illud perſuadebunt ſibi, te non ratione ſed arroganter ſic loqui, & ridicule, nullaque fronte lectionem tot ſcriptorum profiteri, quorum tamen ne nomina quidem & appellationem noviſti. Quare ubi conſentiunt ſibi Patres, præſtat dicere: *Ita reperis plures, vel pleroſque Patrum ſenſiſſe. Viri in Patribus verſati affirmant diſerte, hic unanimes eos eſſe. Poſſem hoc loco longam Patrum ſeriem proferre, eoſque compellare nominatim.* Et ſi quæ ſunt aliæ ejus generis modeſtiores etiam formulæ.

Lex IV.

43. Qui vel verba, vel nomen ipſum Patris non plane tenet amplius, rectius faciet, ſi mentione nulla injecta ſola ſententia utatur. Abſurdum eſt

 enim

enim auctorem graviſſimum ſeu falſo, ſeu aliter atque locutus ſit, luce palam allegare. Qua in re Galli quidam plane novam inierunt rationem. Nam videmus eos dexterrime ſcilicet conſulere ſibi, atque ut alias ſemper, ita hic quoque compendiis ſuis uti. Cum enim jam Pater, jam locus ejus memoriam effugit, ita fere ſolent loqui: *Gravis quidam Pater monet. Eſt ſententia antiqui Doctoris. Sic dicit Sanctus aliquis &c.* Atque hanc rationem tenent in excuſis quoque ſermonibus, nullo operis, capitisve indicio, ſed neque nomine prolato. Verum ipſi illi, qui adhibent, ludibrio habere citationes eas videntur; & ideo ridiculo ſane vocabulo *Citations en l'air*, appellant velut teſtimonia aëri inſcripta, quæ per inane volitarent. Nempe ſatis illæ ſuperque oſtendunt eruditis, oratorem nihil legiſſe per ſe ipſum, ſed ex rivis hauſiſſe omnia; certe negligenter admodum verſatum in argumento illo ſuo. Ita ipſus nuper cogitavi mecum, ubi in recentiſſimo quodam, qui ſic generatim Patris meminerat, infra ad marginem ſubjecta ejus verba latina legi, Tatiani nomine appoſito. Cum enim Tatianum, cujus ſola extat *oratio ad gentes*, ea de re nihil dixiſſe ſtatim viderem, falſam credidi citationem, donec fortuito Paciani *Parœneſin* regustans eadem quidem verba, at ſenſum longe diverſum inveni. Ergo tales etſi bona fide velint agere, fallunt tamen ſæpenumero, & coguntur plane infideles eſſe. Pejus multo faciunt, qui cum verum auctorem neſciant, de induſtria ſubſtituunt alium. Novi ego honeſtiſſimum alias virum, & qui optime diceret ad populum confitentem de ſe, ſi non gloriantem, loco ejus, qui fugeret memoriam, Auguſtinum ſemper vel Bernardum nominare ſe ſolitum; quod cogitaret, veriſimiliter ambos hos Patres ejuſmodi quidpiam alicubi pronuntiaſſe. Sic duo illi ſentire eadem ſemper debebant, quæ

alius

alius quiscunque ſenſerat, ac velut non comparente illo prodire in medium, ſiſtere ſeſe, & vadimonium præſtare.

Lex V.

44. Numquam truncandi ſunt Patrum loci, præſertim in rebus gravioris momenti. Ratio eſt, quod ſic aliam ſæpe faciem induunt, & vix jam agnoſci poſſunt. Hæreticorum hæc eſt macula, non Patres ſolum, verum ipſas etiam Scripturas diſtrahentium fœde, ac deformantium. Quod ſi nos paria audemus, quid vetat pauciſſimis mutatis in nos eadem intorqueri, quibus ipſi Doctores ſacri infidelitatem hanc illis ſuam exprobrarunt? Graviſſime divus Cyprianus *Libro de unit. Eccleſ. Corruptores Evangelii, atque interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt, partis memores, & partem ſubdole comprimentes, ut ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt, ita capituli unius ſententiam ſcindunt.* Et Auguſtinus *Libro de Hæreſibus ad Quodvultdeum* inquit: *Ita legunt, ut quod voluerint, inde accipiant: quod nolint, rejiciant* *. Pulcherrime Caſſianus *Libro VII. de Incarnatione cap.* 7. 15. & 16. ubi inter alia: *Cur ergo hæretice! non hoc modo, quo in Apoſtolo legeras, incolumia, & inviolata poſuiſti; ſed partem ingeris, partem ſuffuraris, & ut adſtruere falſitatem per ſcelus poſſis, veritatis verba furaris? Video a quo doctus es. Illius enim habere credendus es inſtitutionem, cujus ſequeris exemplum.* Pergitque oſtendere, technam hanc fuiſſe Diaboli, Chriſtum tentantis, qui cum integrum oraculum apponere deberet, mutilatam, avulſamque a ceteris ſententiam allegavit **. Peccant

* *Hæreſi* 46. ſcilicet Manichæorum.
** In quod factum & alii Patres, ſcitiſſime vero Bernardus *Sermo.* 14. *in Pſalm.* 90. commentantur.

cant iſti tolerabilius; at peccant tamen. In fraudem volunt inducere, ut illi in hæreſin: ludunt ſimplicitatem, ut illi fidem ludunt; certe verba dant, fucumque faciunt. Quo uno aperte derogant officio ſuo, dum non ſe magiſtris ſed magiſtros ſibi accommodant, falſarii, rabulæ & in ipſa ſede, in perfugio integritatis malarum artium, ac impoſturæ rei.

Lex VI.

45. Eodem pertinet, ut nunquam vel alienus, vel totus ſit ſenſus, quem ſacro ejusmodi teſtimonio tributum velis. In hoc enim multo quam in priore peccatur deterius. Si enim ne in foro quidem toleratur, ſi injuria eſt, graviſſimis teſtibus non recte uti: quanto majore culpa verba ſanctorum inflectuntur? Et tamen nihil iſto ſolennius, ac vulgatum magis; præcipue ſi de *numero ſalvandorum, de externa pœnitentia, de eleemoſynis &c.* ſit dicendum. Quoties ergo vel ſuſpicio tantum oritur, vel omitte textum, vel *contextum* ſimul inquire. Secus eveniet facillime, ut vel iis in rebus, quæ ſunt maximi momenti, infideliter verſeris, & populo nihil minus opinanti pro veritate mendacium obtrudas.

Lex VII.

46. Cum longius eſt teſtimonium, divide illud interloquendo aliqua; ne animus audientis figatur nimirum, & reſpirandi ſpatio nullo conceſſo aliqua ac ſæpe præcipua, quæ conſequuntur, hiantem licet, maximeque intentum ſors effugiant. Sic autem & aliud præterea periculum cavetur, ne tute fallente memoria commutes verba, & pro ſacris illis tua reponas, Id quod non eſt inſolens in locis omnibus productioribus. Cordati quidam, ne hoc facere cogantur, malunt exſcriptam totam

tam ſententiam e charta recitare. Et populus tantum abeſt, ut inde offendatur, ut gaudeat etiam, atque animum multo etiam magis advertat. Perſuaſiſſimum hoc eſt mihi, neque jam poſſum de re dubitare, quam non ſemel vel proprio etiam experimento ipſe cognovi. Providendum tamen, ut id raro fiat; ſecus novitatem perdet, & denique haud paucis odioſum erit.

Lex VIII.

Ubi vim ſingularem habet ſententia, repetenda eſt; ſed aliquoties, non crebrius, non cum quadam affectatione. Illud enim & decet ſummopere, & cauſam juvat mirum quantum: hoc putidum eſt, & neſcio quid declamatorium ſapit. Multi autem ſunt oratores in hac loci repetitione, maxime Itali, atque Germani. Apud Patres, ſi modo Petrum Chryſologum, & Joannem Chryſoſtomum excipias, minus ſæpe, ne dicam raro ſit illam invenire.

Lex IX.

47. Cum multum refert, & quid momenti commendatio habet, adde elogium, laudemque Doctoris quem citas, ut inde veluti grandius, atque efficacius fiat teſtimonium ejus. Hoc vero quemadmodum fieri conveniat, oſtendunt ipſi Patres; ſæpe enim vel Servatorem, vel Apoſtolum aliquem vel Prophetam quaſi honoris cauſa jam præeunt ampliſſimis verbis, jam ſubſequuntur. Quo ſane illud mihi ſemper ſunt viſi obtinere, ut locus inde deſumptus notetur a ſingulis, multoque etiam maturius expendatur. En exemplum divi Hieronymi *Epiſtola* 9, *nunc* 79. *ad Salvinam.* In hac, cum effatum Pauli citaſſet, Viduam, quæ in deliciis eſſet, viventem mortuam eſſe, iſtud ſubjecit:

Hoc Vas electionis loquitur, & de illo profertur theſauro, qui confidenter ajebat: An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus? *hoc ille pronuntiat, qui libere ſub perſona ſua fragilitatem humani corporis fatebatur.* Non enim quod volo bonum, hoc operor, ſed quod nolo malum: & propterea caſtigo & redigo in ſervitutem corpus meum, ne aliis prædicans ipſe reprobus inveniar. *Si ille timet, quis noſtrum poteſt eſſe ſecurus?* Qua ſane adjectione mirum eſt, quam tribuat vim ſententiæ jam per ſe ſatis ponderoſæ. Sic enim velut in altum attollit eam, ut inde dejecta ruat, geminata jam gravitate, & quidquid obſtiterit, opprimat pondere ſuo, atque convellat. Aliud exemplum dat Auguſtinus *. Allegato enim decretorio quodam loco hæc ipſe addit verba: *Multa diximus fratres; ſed illud de memoria veſtra non recedat, quod hodie legitur! Ecce iterum dico, & ſæpe dicendum. Per ipſum diem, id eſt, per ſacramenta hujus diei, conſtringo vos, ut non exeat vobis de cordibus.* Dein iterum repetito loco: *Quidquid contradicunt, homines dicunt; hoc autem Deus dicit.* Brevius *ſermone* 55. *de verbis Domini, nunc* 354. *poſt medium: Si extollis te, Deus dejicit te: ſi tu dejicis te, Deus elevat te. Sententia Domini eſt, nec addi aliquid, nec detrahi poteſt.* Æque laconicum eſt illud Origenis, poſtquam Apoſtorum contra ebrios decernentem laudaverat. *Audiſtis,* clamat, *edictum Regis æterni, & lamentabilem finem ebrietatis vel crapulæ didiciſtis* **? Idem ſæpe alii faciunt, cum non jam divinas literas, ſed qui ipſos præceſſerunt Patres, Collegas videlicet ſuos appellant. Exempla ſunt obvia, præſertim Auguſtini, jam unius jam plurium ſimul auctoritate Julianum invadentis atque in

* *Expoſitione II. in Pſalmum* 22. *in fine.*
** *Homilia* 7. *in Leviticum.*

in ruborem dantis. Sic etiam Baſilius citans Nazianzenum, *Electionis vas*, *& puteum profundum, & Chriſti os appellat**. A Sophronio Hieroſolymita in *Synodica Epiſtola ad Photium Codice* 231. Baſilius ipſe, & Gregorius frater ejus ita allegantur: *Decus Eccleſiæ Baſilius, & verborum flumen Nyſſenus.* Taceo ſexcenta generis ejus, ne ſim nimius, aut ad ea redeam, quæ libris ſecundo & tertio in laudem Patrum ex ipſis Patribus adducta ingenti numero, & forte ad nauſeam ingeſta ſunt.

Lex x.

48. Non ſunt acervanda teſtimonia, ſed moderationem in illis, ut in omnibus rebus etiam optimis oportet adhibere. Regula hæc potiſſimum eos coërcet, qui multitudine literarum plus ceteris oppleverunt pectus, atque inde plenis, quod ajunt cataractis profundere geſtiunt hauſtas opes. Ex quo autem neceſſe eſt conſequi, ut turbentur magis auditores, quam penitius inſtituantur. Hic enim maxime habet locum, quod ait magnus Gregorius *Homilia* 11. *in Ezechielem: Quia multa retinere non poſſunt, ſimul amittunt univerſa.* Placet ſententia; & eſt de eo genere, quæ per ſe ſolæ rem totam conficiunt. Accedit alterum, & fors æque abſurdum. Nempe redundantia hac implicari ipſam orationem, leporemque, ac gratiam ejus omnem evaneſcere **. Certe literati etiam viri fatigantur denique tam multa, tamque varia audiendo. Quidquod ne quidem in lectione id ferimus & auctorem absque modo allegantem jure accuſamus; quaſi multo plus ingerat nobis, quam expetamus, quamque diggerere poſſimus. Exemplo eſt Theo-

O 4 phi-

* *Epiſtola* 7. *alius* 141. *ad Cæſarienſes.*
** Feſtivum rei exemplum dat Ignatius Weitenauer *Subſidiorum Libro XI. cap.* 8. *num.* 816.

philus Raynaudus, Joſephus Maria Suareſius, & nonnulli alii ejus ævi; quibus hoc profecto accidit, ut moleſtiam non raro lectoribus creent nimia ubertate ac veluti profluvio quodam eruditionis. Cum enim cetera ſcribant egregie, quoties ſua expromunt: ſic ubi Patres alioſque ſcriptores inceperint allegare, ita congerunt omnia, ſuffarciunt, atque accumulant, ut nos qui conſultum eos accedimus, exterreant plane, ipſaque copia illa ſua inopes faciant*. Quod ſi ergo in libris impedimentum affert congeries iſta teſtimoniorum, nihil jam attinet dicere, quantopere in ſermonibus ſit cavenda. In ſermonibus inquam, ubi transvolant verba, non hærent, non conſiſtunt, quemadmodum in charta, & ſcriptione contingit. Sed & alii quidam, etſi minime docti exultant vehementer, ſicubi plura in cumulo repererint teſtimonia. His enim in quamcunque incurrant materiam, veluti obſepiunt ſeſe; & legi nonnullos, qui decem & plures etias locos, nusquam a ſe lectos continenter allegarent, atque ita quaſi exhauſta funditus quæſtione mirum quantum & ſibi ipſis & auditoribus ſuis gratularentur. Quamquam non tam ipſorum hæc eſt culpa, quam eorum, quos legerunt. Machinæ ſunt, ſponte ſua non moventur; ut autem agitari extrinſecus contigerit, jam non eunt, ſed feruntur. Dicendum eſt ad populum? prima cura, ut quæ *invenire* domi non didicerunt, quærant apud alios. Itaque vel concionem impreſſam expilant, vel

---

* **Si quem offendat ea criſis, cogitet ſane meam non eſſe. Præcepta damus; præcepta autem exemplis ſunt illuſtranda, præcipue iis, quæ in oculos incurrunt. Tantum vero abeſt, ut erga ipſos Scriptores male affectus ſim, ut hoc in Opere paſſim oſtendam, quantum & diligentiæ, & eruditioni eorum deferendum putem.**

vel Collectorem adeunt. Ubi quidem quidquid repererint, ſanctum habent, & religioni ſibi ducunt, ex eo, quod liberaliter offertur, vel minimum recuſare. Sæpe etiam tales diſperſa in ſermonariis, & Rhapſodis conjungere ſolent; atque ita quæ ſeorſim pauca eſſent, nunc integram paginam implent. Quanto ſatius fuerat Patres ipſos adire, & ex his quædam exquiſita attingere, quam nullo facto delectu quam plurima undique comportare? Cum igitur copioſius eſt argumentum, imitare ipſos Patres, ubi verba Scripturarum allegant. Videbis titulos partim omiſſos, partim ita inſertos, & variatos, ut minime abrumpatur orationis ſeries, ſed filo eodem, quo erat cæpta, usque ad finem pertexatur. Et quid futurum putas, ſi quis eorum aliena omnia quæcunque habet, poſuiſſet aperte, & verſibus ſingulis nihil aliud præter nomen libri adieciſſet? quam aſpera illud, quam inæqualis ferretur oratio? quam importune ipſi affectus velut medio in curſu ſufflaminarentur? fac rei periculum in Bernardo, qui plura habet ſcripturæ verba, quam propria: certus ſum, additione ea duplo auctior, atque una tam ſcaber, tam hiulcus evadet, ut auctorem in auctore requiras, & quæ ante apertiſſima fuere, repente quaſi luce erepta meris tenebris obducantur. Nolo autem nunc ſpecimen dare, quam is apte humano ſermoni divinum immiſceret; qui hoc expetit, obvium illius librum aperiat, & quodcunque ſe caput primum offert, non unum, ſed plura miniſtrabit. Idem eſt de Petro Bleſenſi, de Guerrico Abbate &c. Nam etſi hæc Bernardo debetur gloria, quod lingua Scripturæ vernacula ei eſſet, tamen & alii ejus ætatis cum facultate, & elegantia ſingulari ferme idem præſtiterunt. Legi quoque præ aliis meretur *Paracleſis* Ludovici Bloſii, ut quæ ex meris phraſibus divinæ paginæ, ſtudio ſummo aptatis, haud ſecus

ac opere quodam teſſellato ſtructa tota eſt & coagmentata. In verbis ipſorum Patrum congerendis placet idem quem dixi Petrus Bleſenſis, cujus multa, dum hæc ſcribo ſunt præ oculis, arridentque vehementer. Egregie eadem uſurpat Joannes Bona Cardinalis *in Manuductione ad Cœlum*. Hic enim graviora quædam, quæ huc recta faciant, eligere contentus, ea ipſa eodem tenore haud ſecus ac propria annumerat omiſſa penitus citatione. Et inſtituti ejus rationem idoneam dedit vir ſummus; quam potes legere *in Præfatione ad Lectorem.*

Lex xi.

49. Ne Patres non latini citentur latine. Ut quid enim aliena lingua loquantur, quam ne callebant quidem? abſurditas rei patet primo aſpectu. Nihilominus plures in hunc diem nondum illa advertit. Quare pergunt ridiculos facere ſeſe, voceſque græcas primum romano, tum vernaculo ſermone admetiri. Longe id inſulſius, ac ſi, uti ſunt, græce, ſyriace, arabice tales locos efferrent, quod fecerunt quidam ſæculo XVI. imo & XVII. a Theophilo Raynaudo ut par erat, egregie propterea perſtricti *.

Lex xii.

50. Quando in librum ſpurium, & ſuppoſititium incidis, diſſimulandum id potius, quam populo aperiendum eſt. Quid enim inde expectes, niſi, ut quantum tibi ex eruditione captata acceſſerit vanitatis, tantum operibus Patrum de ſua fide, atque exiſtimatione decedat? offenduntur his maxime rebus ſimpliciores, & velut ſigno dato de omnibus paulatim aſſueſcunt dubitare. PanthalusRauracus in *Præfatione Sermonum Gerardi Pauli* laudat, prudentiam

* *Heteroclitorum Parte II. pag.* 308. *colum.* 7.

dentiam pientiſſimi ejus viri, qui cum haud parum eſſet in operibus Patrum verſatus, nihilominus citandi uſitatum morem conſtanter retinuiſſet; idem videlicet periculum, eandem quam dixi offenſionem populi extimeſcens. Denique hortatur lectores, uti Thomam Kempenſem audirent, *Libro I. de Imitatione Chriſti, cap.* 5. *v.* 7. ita loquentem: *Non quæras, quis hoc dixerit; ſed quid dicatur, attende.* Multum initio viri ſententiæ tribuebam; verum, ut ponderare eam maturius cæpi, recedendum mihi continuo ab ea eſſe exiſtimavi. Certe enim ſatis fuerit auctorem verum nominare; ut ſi loco *Euſebii Emiſeni* Eucherium, ſi loco *Cypriani de Cardinalibus Chriſti operibus* Arnoldum Carnotenſem alleges. Aut ſi verus auctor latet hodieque, uti ille *operis imperfecti in Matthæum;* tum enimvero Patrem quemdam *ignotum,* Patrem *Anonymum* vocabis, qui ad calcem Chryſoſtomi, Auguſtini, Athanaſii &c. reperietur. Interdicis conſilio, & diſplicere tibi oſtendis? Sed, quæſo te, ſi deteximus ſemel atque agnovimus errorem, cur eundem proſequamur diutius? Si jam tot ſæculis decepti innumeri ſunt, cur & impoſterum complures alios decipiamus? Nihil agis mi bone; neque eſt, quod cauſeris, quando quod offendiculo poſſet eſſe, vel diſſimulare licet ſapienter, vel quod eſt facilius, omnino præterire.

CAPUT III.

Expediuntur aliquot dubia.

Regulis hiſce ſtabilitis ſuperſunt dubia, majori contentione, quam res ferat, agitari hodie a multis ſolita.

51. Et primo quidem quærunt; an & latiſſimo ſenſu dictos Patres licet citare, præcipue eos, quorum opera ab hæreticis corrupta fuerunt? Reſpon-

ſpondeo, ſic bona inde eligamus, ut mala dimittamus. S. Hieronymus minime dubitavit vel ex Libro Tertulliani *de Monogamia*, quæ adverſus Eccleſiam ille ſcripſerat, in rem ſuam convertere. Origenes vero quoties ab iis ipſis eſt ſpoliatus, qui oderant eum ſummopere, atque adeo condemnandum curaverant! hodieque videmus a præcipuis viris Pelagii *Epiſtolam ad Demetriadem*, auctorem *operis imperfecti in Matthæum*, Sixtum III. & ſimiles alios laudari paſſim, atque exſcribi. Et profecto ſi Seneca dicere potuit; quidquid eſſet verum, ſuum eſſe: quanto magis dicere nobis licet, quæcunque bona vel peſſimi homines ſcripſerint, Dei, & quod conſequitur, Eccleſiæ eſſe, in qua aliquamdiu ſaltem illi fuerunt? Recte Eraſmus *Præfat. in Cyprianum* hunc *nihilominus ob id Tertulliani ingenio tribuiſſe*, ait, *quod ab Eccleſia ſeſe ſubmoviſſet; nimirum gnarum vel e ſterquilinio legere aurum: & intelligentem, ubique bonum eſſe, quod bonum eſt, ac vitantem propheticam imprecationem adverſus eos, qui pro perſonarum varietate, vel pro ſuo magis affectu de rebus judicium variantes quod bonum eſt dicerent malum, quod dulce eſſet facerent amarum.*

52. Secundo quærunt. num latine citandi textus Patrum latinorum, an vernaculo duntaxat ſermone reddendi? Hac ſibi quæſtione mirum quantum placent juvenes, & quaſi theſaurum aliquem reperiſſent, ita ſibi applaudunt. Ajunt vero a Cicerone, & Seneca nunquam citatos græcos: Tiberium noluiſſe in ſenatu græca voce uti: & Demetrium Phalereum *Libro de Elocutione* reprehendere eos, qui græcis vocibus peregrinas immiſcerent. Quanto ergo pejus ſonaret in auribus plebeculæ, quod neque in Senatu, neque in Libris eſſet toleratum *. Sed & Patres, addunt, unius liguæ ſilo

* Præter hæc quædam dat Natalis Argonenſis *Parte IV. cap.* 16. *de optima Methodo legendi Patres Eccleſiæ.*

ſtilo componere orationem: & ſi quando poſteriores teſtimoniis priorum uterentur, ſuo, non alieno idiomate id facere; niſi forte in Scriptura explicanda græcos, hebræosve fontes debebant conſulere. Ego, ut dixi, rem iſtam tanti non duco, ut multum propterea diſceptetur. Equidem rationes allatæ minime vanæ ſunt *, nihilque illis præter conſuetudinem, conditionem item, ac varietatem auditorum opponi poteſt. Faciat mea pace quilibet, quod maxime voluerit; modo eos, qui ſecus fecerit, non condemnet, & ſermonem totum flocci pendat, in quo latinum aliquid ſonuerit. Me quod attinet, uti *Vulgatam*, quæ ſola jam authentica eſt, ſuis verbis uſurpo, ſic & Patres iſtos. Cauſam quæris? ita Segnerium ex Italis: ita Bourdalouæum ** ex Gallis: ex Hiſpanis Barziam, ex Germanis Breanum, & Neumayerum ſcio feciſſe; quibuscum omnibus aberrare, mihi quidem, non eſt indecorum. Quid quod S. Saleſius *Libro I. epiſt.* 31. diſertis verbis ſuadet teſtimonia primum lingua latina proferre, dein vernacula, diducendo vivaciter, explicando, inculcando, quo valeant magis, & efficacitatem nanciſcantur.

53. Tertio quærunt, num Ethnicos adjungere Patribus liceat; maxime ubi in eandem cum illis ſententiam eunt? Dudum in ea hæreſi fui, ut teſtimonia gentilium omnia eliminanda putarem, planeque abſurdum clamavi ſacra profanis miſcere, & alternis quaſi vicibus jam Platonem, jam Paulum in-

* Minime vanas dico; etſi univerſe ne veræ ſint quidem. Nam Cicero *in Epiſtolis. in Oratione in Piſonem, in Philippica I.* græcas voces non refugit.

** Etſi enim in verſione germana omittuntur loci latini, tamen in autographo habentur. Quod ſi illam attendimus, non ſolum latinos lingua vernacula, ſed ipſum ſacrum codicem ex Bibliis Lutheranis debebimus allegare.

inducere loquentes. Verum, ut quod res eſt dicam, poſtquam ad Patrum lectionem acceſſi, molliorem me cœpi præbere. Nihil enim frequentius apud eos, quam ut effata Philoſophorum uſurpent. Clemens Alexandrinus his mercibus plenus eſt. S. Baſilius juſta oratione hortatur adoleſcentes, ut in legendis gentilium libris imitentur apes atque ex malis, & inutilibus bona utiliaque diſcant eruere. S. Auguſtinus *Libro II. de Doctrina chriſtiana cap.* 39. * fuſe oſtendit, ſi quæ Philoſophi vera, & fidei accommoda dixerint, non ſolum reſpuenda non eſſe; ſed ab eis tanquam injuſtis poſſeſſionibus in noſtrum uſum vindicanda **. Itaque citari poſſunt; verum ea cautione, uti ſobrie, raroque id fiat, condimenti in morem, non cibi, quemadmodum olim factum, cum ſæpius Ethnici, quam ipſi Patres audirentur pro concione. Dein formetur argumentum ad hominem, dicaturque: *Ut magis eluceat veritas, quæ nec inter tenebras quidem latere potuit.* Item: *Vah pudor pro noſtris hominibus! quando vel gentiles ratione ſola duce melius multo, rectiusque ſenſerunt &c.* Exemplum inſigne Auguſtinus ſuppeditat. Cum enim *Libro IV. contra Julianum cap.* 14. Ciceronis locum de venerea voluptate laudaſſet, ita ſubjecit: *Hæc ille dixit, qui nihil de primorum hominum vita, nihil de paradiſi felicitate, nihil de corporum reſurrectione crediderat. Erubeſcamus interim veris diſputationibus impiorum, qui didicimus in vera veræ pietatis, ſanctaque Philoſophia!* Multa item ejus generis apud Lactantium; uti illud *Libro VI. divinarum inſtitutionum cap.* 24. de

---

*** Locum dedimus alias Libro primo Diſſertatione ſexta capite ſecundo num. 70.**

**** Plures in eam rem adducit Alphonſus noſter Salmeron in *Præfatione* egregia ſuorum *operum.***

de conſcientia noſtra, quod ſane fuerit loco omnium reliquorum.

54. Sed obiter quoque ac contemptim id faciendum. Chryſoſtomus cum *homilia 7. ad populum* allegaret Demoſthenem, nomen ipſum ſilentio præterivit. Idem fecit *homilia 11. in ad Romanos*, quando Ariſtippum in divitis lautiſſime habitantis faciem narrat expuiſſe. Quod ſi vero impugnandi ſunt illi, ac revincendi, nihil vetet, quo minus nomine quisque ſuo identidem compelletur. Quid enim ſi *Diabolum* licet nominare pro concione, præſertim cum ejus fallacias detegimus: eccur appellationes hominum ſupprimendas putemus? Ipſe profecto Chryſoſtomus, licet omnium hac in parte delicatiſſimus, cum narrationem inſtitueret de Socrate *: tum quidem eum minime nominavit; verum cum poſt Philoſophos refutaret variis locis, plures ſimul ſuis nominibus aperte recenſuit, uti *Oratione III. nunc V. adverſus Judæos;* ubi & ea de cauſa egregie ſeſe excuſat **. Quamquam & Oratores hodierni, iique celeberrimi adducunt Ethnicos. Sic a Bourdaluæo Plinium & Senecam laudatos memini, a pluribus aliis longe plures.

55. Ex quo nova & quarta exiſtit dubitatio, num & Poetæ, & maxime verſus eorum quidam juxta Patrum ſententias poni poſſint? Et de his cur ſecus ſtatuam, minime video. Ipſe iterum Bourdaluæus *Concione I. III. Partis*, cum inveheretur in avaritiam, verſum Horatii vexavit:

O cives! cives! quærenda pecunia primum eſt;
Virtus poſt nummos - - -

Et

* *Homilia 26. in 1. ad Corinthios in Morali.*

** Quam vero ſapienter divus Gregorius Nazianzenus noſſet Gentiles allegare, dictum alias Libro tertio Diſſertatione quinta, ubi eloquentiam ejus ventilavimus.

Et alium ejuſdem:

- - - - - - *rem*
Si poſſis recte; ſi non, quocunque modo rem.

Tam dextere autem, tamque egregie id præſtitit, ut ſpeciem veluti ſacram ille indueret. Idem cum verſu illo Juvenalis fecit:

Magnaque Numinibus vota exaudita malignis.

Et illo Tragœdi, ni fallor:

Heu! vix totam Hercules implevit urnam!

Sed & P. Colombier de Chriſto, amore ſponſæ Eccleſiæ etiamnum in terras redeunte, atque novis hoſtium injuriis ſe exponente ubi dicit **, proponit Æneam, qui cum omnia pericula evaſiſſet, tutaque e græcis omnia haberet; uxoris tamen cauſa iterum ſe diſcrimini immiſerat, hiſce Virgilii verbis:

Stat caſus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam, atque iterum caput objectare periclis.

Atque ita cum his hominibus jam eſſet debellatum: ſed ultra procedo, & plane affirmo ipſos Patres id ſæpius ſumpſiſſe ſibi, ut Poetas teſtes vocarent. Hieronymus cum in Epiſtolis, tum ſæpe alias verſiculos exponit. Creditus Auguſtinus vel in Concione ** citat illud Juvenalis:

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Verus autem Auguſtinus vel in ſolo opere *de Civitate* quinquagies adducit Carmina. S. Joannes Damaſcenus *Homilia* 2. *in Dormitionem B. Mariæ Virginis* eodem halitu binos Homeri verſus profundit. S. Bernardus non uno loco Poëtarum verba uſurpat. Et credo hac de cauſa feciſſe eos, quod verſus

---

* *Concione de Euchariſtia.*
** *Serm. de SS. Innocentibus, nunc* 220. *in Appendice.*

ſus veluti *proverbia* reſpicerent, vel exemplo Apoſtoli Epimenidem, & Aratum allegantis ducerentur. Cum enim iſte *Actor.* 7. *v.* 28. Athenis in Areopago diceret, inter alia memoravit: *Sicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus.* Et ad Titum Epiſcopum Cretæ *cap.* 1. *v.* 12. *&* 13. *Dixit quidam ex illis proprius ipſorum Propheta: Cretenſes ſemper mendaces; malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimonium hoc verum eſt* *. Itaque, ut dixi, cur Poëtas identidem laudarent, facto ipſius Pauli Patres duci potuerunt. Sed quidquid ſit, nihil refert; *Non enim*, ait Bernardus, *attendo verſum, ſed ſenſum* **.

56. Quodſi vero gentilium carmina e ſuggeſtu ſacro non excluduntur, minus etiam alia eorum, uti *Fabulas* quaſdam *morales*, *Narrationes* item, atque *Hiſtorias* debemus averſari. P. Segaud *Concioni I. Tomi I.* duas omnino narratiunculas unam de Domitiano Imperatore, & mox alteram de Dionyſio Tyranno inſeruit. Bourdaluæus autem *Partis IV. Dominic. Conc.* 1. etſi breviſſime de ſtolido, ac plane muliebri Aggrippinæ ambitu commemoravit. Neque hæc vitio alii vertent, modo rationem tractandi, atque una exempla Patrum potius, quam ſua illa præjudicia velint attendere. Et redit argumentum, quod ante pro ſententiis attulimus; ita quidem ut hic ſtringat multo magis. Neque enim tam convincunt verba, quam exempla; imo hæc trahunt, ſi illa movent. Audiamus Auguſtinum egre-

* Recole hic, quod ſupra de teſtimoniis infidelium dicebam; additum nempe iis argumentum ad hominem fuiſſe. Quod mirifice confirmant verba: *Veſtrorum Poëtarum*: *proprius illorum Propheta*: & *teſtimonium hoc verum eſt.*

** *In Apologia ad Guilielmum Abbatem, verſus finem.*

egregie rurſus in rem noſtram philoſophantem. *Ex Ethnicorum benefactis*, ait, *acriores addi ſtimulos ad virtutem, quam noſtratium: cum ſubit animo quam turpe ſit, non id perſpicere pectus Evangelica luce illuſtratum, quod perſpectum eſt his, quibus ſola naturæ ſcintilla perlucebat; non præſtare nos, qui ſub Chriſti vexillis militamus pietati, qui ſtipendium immortalitatis ab eodem expectamus, quod præſtiterunt hi, qui nihil hominis a rogo ſupereſſe aut ſuſpicati ſunt, aut plane putaverunt.*

57. Denique ne quid ommittamus, quod quavis ratione huc poſſit pertinere, dicta factaque Chriſtianorum, etiam recentiora, modo vel mores, vel auctoritatem magnam habent, multo minus quam priora illa excludere a concionibus debemus. Sic Bourdaluæus Picum Mirandulæ Comitem allegat *, & Patres jam Conſtantini, & aliorum Principum, jam Monachorum, Virginumve documenta quædam recteque facta paſſim inſeruerunt Tractatibus ſuis. Quamquam hæc & omnia ſuperiora non ea mente prolata a me quis exiſtimet, quaſi auctor cuiquam velim eſſe ad hæc ipſa paſſim, & ſine diſcrimine uſurpanda. Permitto, non præcipio; atque uti cum ultro ſe offerunt, & vehementer faciunt ad propoſitum, nolo reſpui; ſic ſæpe, & de induſtria accerſiri haud debere obnixius etiam contendo.

58. De allegationibus Patrum agunt Claudius Aquaviva *Epiſtola ad Provinciales Societatis de formandis concionatoribus.* Carolus Regius *Libro V. Oratoris chriſtiani cap.* 7. ** Nicolaus Cauſſinus *Libro IV. cap.* 4. & iterum obiter *Libro* 15. *de Eloquentia ſacra & humana.* Theophilus Raynaudus

* Bis in ſolo *Dominicali.*

** Huc etiam faciunt, quæ *Libro VI. a cap.* 23. de Allegationibus Scripturarum docet.

dus *Tomo X. de bicipiti Eccleſia Puncto* 9. Amadeus Bajocenſis in *Paulo Eccleſiaſte Parte I. Libro* 2. *cap.* 8. *art.* 2. *ſect.* 2. Idem *ibidem initio cap.* 5. de allegationibus gentilium agit. Natalis Argonenſis *de optima Methodo legendi Eccleſiæ Patres Parte IV. cap.* 16. *ad finem.* Ignatius Weitenauer *Subſidiorum Eloquentiæ ſacræ Libro XI. cap.* 3. *num.* 816. & 817.

DISSERTATIO IV.

De Ratione Patres *imitandi.*

CAPUT I.

Præmittenda nonnulla.

59. A natura eſt inditum alios imitari, & imitamur a pueris omnes in omnibus. Quod ſane optimum ex ſe, & Creatoris inſigne beneficium eſt. Uti enim *invenire* primum habetur, atque præcipuum; ſic proſequi ea, quæ bene ſunt inventa, multis neceſſarium, omnibus utile dicendum. Omnis quippe ratio profectus ſic conſtat, ut quod videmus alios recte facere, facere & ipſi velimus. Aut quid ſine imitatione contingit nobis? præſertim in artibus, atque ſcientiis, in quibus omnibus ad propoſitum aliquod exemplar nos conformamus, aliorumque ſive præcepta ſectamur, ſive methodum ac ſtylum adhibemus? Ergo ſtultus foret, & naturæ inimicus, qui imitationem tolleret, etiam apud eos, qui invenire per ſe ipſi jam norunt. Neque enim illud optimum ſemper, quod ex nobis ipſi gignimus; ſecus aranei, qui ſuis e viſceribus ſtamina ducunt, pluris eſſent apibus, quæ quidquid faciunt operis, ex alieno libarunt. Eleganter de talibus conqueritur homo profanus, atque gentilis Plinius *junior* in quadam epiſtolarum ſuarum:

Statim ſapiunt, inquit, *ſtatim ſciunt omnia, neminem reverentur, imitantur neminem, atque ipſi ſibi exempla ſunt.*

60. Ut autem naturale, ut utile, & neceſſarium, ſic facile eſt, imitari; ejusque mediocria etiam ingenia, quæ in ceteris fere deficiunt, & capacia & patientia ſunt. Verum id recte facere eo difficilius. Iſtuc hominum, illud ſimiarum eſt. Plerique enim, ut vicina virtutibus vitia dicuntur, perverſe imitando declinant in pejus, & pro grandibus tumidi, pro lætis laſcivi, pro acutis frigidi, pro preſſis exiles, pro fortibus temerarii evadunt.

61. Porro ſi ars ulla vel ſcientia, ubi imitationi ſit locus, & quæ ſolo aſpectu expoliri poſſit, ea profecto rhetorica exiſtimanda eſt, quod, ut omittam cetera, exemplis omnium ſæculorum manifeſte poſſumus demonſtrare. Imitatio uti magnos Poëtas, Hiſtoricos, Philoſophos nobis dedit: ſic ſummos oratores formavit: & quemadmodum Livium Thucydidi, Homero Virgilium, Pindaro Horatium*, ita Demoſtheni Ciceronem debemus. Quem iterum imitati Patrum memoria complures, æquarunt ſæpius, nonnunquam & ſuperarunt.

62. Igitur hæc ad eloquentiam omnium tutiſſima, & ſecuriſſima eſt via; quam proin ipſos etiam Patres partem magnam intelligo calcaviſſe. Neque enim majores ſuos tantum, uti Cyprianus Tertullianum: Chryſoſtomus Euſebium Emiſſenum; verum & gentiles ipſos ſtudioſiſſime affectati ſunt. Sic S. Gregorius Nazianzenus Polemonem: Lactantius Tullium: Sulpitius Severus Salluſtium: alii alios in ſuo quisque genere imitari ſtuduerunt **. Ita-

* Quam diligentes in imitando Poëtæ fuerint, vide præ aliis Julium Cæſarem Scaligerum *Poëtices Libro V. toto.*

** Et de græcis quidem quam id ſit univerſe exploratum, egregie confirmant verba Mabillonii, qui *Tractatu*

Itaque & nos idem faciamus in Patrum præcipuis exprimendis, neque dubitemus, imitatione ſola (ſiquidem ut dicemus inſtituatur) longius multo, quam præceptis, & Rhetorum animadverſionibus promoturos; quando & ipſæ non ex ſe, ſed ex imitatione naturalis eloquentiæ nullis adhuc dum legibus adſtrictæ originem habuerunt.

63. Sed neque dubium eſt, inſtauratam concionandi rationem, quam ſæculo ſuperiore quidam Galli ſunt auſpicati, Patrum imitationibus in acceptis referendam. Horum enim illi veſtigia legerunt, hos ſectati ſunt, hos cupidiſſime perſecuti. Prodibant paulatim editiones novæ. Primum ergo ſic editos, mox, ut fieri ſolet, etiam alios ſalutare cæperunt. Atque ille quidem Tertullianum tractabat, iſte Cyprianum, alius Hieronymum, rurſum alius Salvianum volebat. Quodque Græci vel hac in parte ſuperiores dicebantur, & ad hos verſandos plurimorum eſt appetentia ſuſcitata. Primus in his Chryſoſtomus, qui ut in manus venit, ac delibatus eſt ſemel, neque diu deinceps neque noctu ponebatur *; atque iſtuc facile foret vel ad oculum oſtendere: & norunt omnes qui vel ſolum Bourdalouæum familiarem ſibi nonnihil reddiderunt. Nemo tamen propius meo judicio ad Patrum di-

 cendi

ſtatu de Studiis Monaſticis Parte II. cap. 15. ita loquitur: *Vir quidam egregius dudum mihi teſtabatur, quod ut græci Patres exacte intelligantur, legiſſe accurate oportet ſeptuaginta interpretes, item Demoſthenem, & Homerum; quorum ſtylum Patrés ipſi ſummopere imitari ſtuduerunt.*

* Memores erant ejus, quod Horatius *Lib. II. Epiſt.* 3. *de Arte Poëtica*, Piſones monet:

- - - *vos exemplaria græca*
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Et infra:

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Muſa loqui - - - - -

cendi rationem acceſſit, quam Boſſuetus * ille enim, quod eos legerat ſtudioſe, multum inde majeſtatis, efficaciæ & celſitatis traxit, quædam vero tantum non in naturam convertit. Ut autem Bourdalouæus, licet ex Patribus pleraque colligeret, ſuo tamen genio obſecundabat: ſic Boſſuetus, quin locos & verba Patrum afferret, genium nihilominus eorum quam feliciſſime expreſſit; nempe ardor, & copia non ferebant laborem illum aptandi omnia, & combinandi, cujus alter naturæ beneficio non aſſuetus ſolum, ſed patientiſſimus erat. Et teſtatur de eo Carolus Ruæus in *Diſſertatione Concionibus præmiſſa,* non niſi folia reperta a viri obitu, ubi ſermonis œconomiam, fontes item motuum, ac locorum, denique nervos & ornamenta quædam erat complexus; ut ſatis appareret, verba ipſa tacite inter ambulandum præmeditari, tum animoſe procedere ad concionem ſolitum. Ergo ut revertar ad propoſitum, fieri vix poſſe exiſtimo, ut qui Patres magis diſertos ante oculos proponat ſibi, abſint licet præſidia cetera, non in egregium brevi concionatorem ſit evaſurus. Sed divi Auguſtini elegantiſſimum, & ſapientiſſimum locum audiamus, quo iſtuc in rem noſtram diſertis verbis ita comprobavit **. „Si auctum, & fervens adſit ingenium, „facilius adhæret eloquentia legentibus, & audien„tibus eloquentes, quam eloquentiæ præcepta ſe„ctantibus. Nec deſunt eccleſiaſticæ literæ etiam „præter canonem in auctoritatis arte ſalubriter col„locatum, quas legendo homo capax, etſi id non „agat, ſed tantummodo rebus, quæ ibi dicuntur, „intentus ſit, etiam eloquio quo dicuntur, dum „in his verſatur, imbuitur, accedente vel maxime „exercitatione ſive ſcribendi, ſive dictandi, poſtremo „etiam

* De *Sermonibus* loquor.

** *L. 4. de Doctrina Chriſtiana cap.* 3.

„etiam dicendi, quæ ſecundum pietatis ac fidei re-„gulam ſentit. Si autem tale deſit ingenium, nec „illa rhetorica præcepta capiuntur, nec ſi magno „labore inculcata quantulacunque ex parte capian-„tur, aliquid proſunt: Quandoquidem etiam ipſi, „qui ea didicerunt, & copioſe, ornateque dicunt, „non omnes ut ſecundum ipſa dicunt, poſſunt ea „cogitare cum dicunt, ſi non de his diſputant; „imo vero vix ullos eorum eſſe exiſtimo, qui „utrumque poſſint & dicere bene, & ad hoc fa-„ciendum præcepta illa dicendi cogitare, cum di-„cunt. Cavendum eſt enim, ne fugiant ex animo, „quæ dicenda ſunt, dum attenditur, ut arte dica-„tur. Et tamen in ſermonibus, atque dictionibus „eloquentium impleta reperiuntur præcepta elo-„quentiæ, de quibus illi ut eloquerentur, vel cum „loquerentur, non cogitaverunt, ſive illa didiciſ-„ſent, ſive ne attigiſſent quidem. Implent quippe „illa, quia eloquentes ſunt, non adhibent, ut ſint „eloquentes. Quapropter cum ex infantibus lo-„quentes non fiant, niſi locutiones diſcendo lo-„quentium, cur eloquentes fieri non poſſint nulla „eloquendi arte tradita ſed elocutiones eloquentium „legendo & audiendo, & quantum aſſequi conce-„ditur imitando. Quid quod ita fieri ipſi quoque „experimur exemplis? nam ſine præceptis rheto-„ricis novimus plurimos eloquentiores plurimis, „qui illa didicerunnt: ſine lectis vero & auditis „eloquentium diſputationibus vel dictionibus ne-„minem. Nam neque ipſa arte grammatica qua „diſcitur locutionis integritas, indigerent pueri, ſi „eis inter homines, qui integre loquerentur, cre-„ſcere daretur & vivere Neſcientes quippe ulla „nomina vitiorum, quidquid vitiorum cujusquam „ore loquentis audirent, ſana ſua conſuetudine re-„prehenderent, & caverent, ſicut ruſticos urbani „reprehendunt, etiam qui literas neſciunt.„ Et

iterum paulo inferius *. „Porro, inquit, qui non „ſolum ſapienter, verum etiam eloquenter vult di- „cere, quoniam profecto plus proderit, ſi utrum- „que potuerit ad legendos, vel audiendos, & exer- „citatione imitandos eloquentes, cum multo liben- „tius, quam magiſtris artis rhetoricæ vacare præ- „cipio: ſi tamen ii, qui leguntur, & audiuntur „non ſolum eloquenter, ſed etiam ſapienter di- „xiſſe, vel dicere veraci prædicatione laudantur. „Qui enim eloquenter dicunt, ſuaviter, qui ſapien- „ter, ſalubriter audiuntur. Propter quod non ait „ſcriptura, multitudo eloquentium, ſed *Multitudo* „*ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum* ** ſicut autem „ſæpe ſumenda ſunt & amara ſalubria, ita ſemper „vitanda eſt perniciosa dulcedo. Sed ſalubri ſua- „vitate, vel ſuavi ſalubritate quid melius? quanto „enim magis illic appetitur ſuavitas, tanto fa- „cilius ſalubritas prodeſt. Sunt ergo Eccleſiaſtici „viri, qui divina eloquia non ſolum ſapienter, ſed „eloquenter etiam tractaveruut. Quibus legendis „magis non ſufficit tempus, quam deeſſe ipſi ſtu- „dentibus, & vacantibus poſſunt. „ Viri pruden- tes non ſolum facile mihi ignoſcent prolixos hos locos afferenti, verum & grates habebunt. Neque enim video, quid ad commendandam Patrum imi- tationem ſolidius, dici ab aliquo, vel luculentius poſſit. Sed hoc ipſum jam ante ejusdem operis *L.* 2. *c.* 37. *præſtanti* alia ſimilitudine declaravit S. Doctor, quam pariter nefas ſit hic præterire. Cum enim dixiſſet plerumque accidere, ut facilius homines res eas aſſequantur, propter quas aſſe- quendas præcepta artis diſcuntur, quam talium præceptorum nodoſiſſimas, & ſpinoſiſſimas diſci- plinas, ita ſubdit: „Tanquam ſi quispiam dare „volens

* *Cap.* 5.

** *Sapientiæ* 6. *c.* 26.

„volens præcepta ambulandi, moneat non eſſe le„vandum pedem poſteriorem, niſi cum poſuit prio„rem: deinde minutatim quemadmodum articulo„rum, & poplitum cardines oporteat movere, de„ſcribat. Vere enim dicit, nec aliter ambulari pot„eſt, ſed facilius homines hæc faciendo ambulant, „quam animadvertunt, cum faciunt, aut intelli„gunt, quam audiunt. Qui autem ambulare non „poſſunt, multo minus ea curant, quæ nec expe„riendo poſſunt attendere. Ita plerumque citius „ingenioſus videt, non eſſe ratam concluſionem, „quam præcepta capit, tardus autem non eam vi„det, ſed multo minus, quod de illa præcipitur.„

64. Verum dices, quid ergo eſt, in quo conſiſtit imitatio ea, & applicatio tantopere jam commendata? non ergo ſatis eſt Patres legiſſe, num exprimendi ſunt quoque? cui facile eſt reſpondere. Equidem lectio ipſa vix eſt ſine imitatione quadam. Quid enim? ſenſim ſine ſenſu, etſi nulla ſit imitandi cura, ſtudium nullum, & ſtylus & ſenſus & ipſe adeo animus auctoris influunt in legentis genium, quemadmodum in ſole ambulantibus contingere ſolere Cicero admonuit *, quamvis enim alia de cauſa ambulemus, natura tamen fit, ut varios a ſole radios, & colores trahamus; aut ſicut qui pigmentarias officinas colunt, eis etiam non ſentientibus adhæret ſuavitas aliqua inde exhalans. Ita qui multus in libris eſt, paulatim illorum verbis, & rebus ita imbuitur, ut eum ubique veluti comitentur, ipſe vero ſine vi, & labore, etiam cum voluerit, dimittere a ſe nequaquam poſſit. Habet ergo hæc cum mortuis communicatio, quod uſus familiaris cum illis, quibuſcum vivimus, & frequenter agimus. Omnibus enim etiam minime cogitantibus uſu venit, ut ab hoc quidem iſtuc, ab illo

P 5 aliud

* *L. 2. de oratore.* Et Seneca *Libr. 1. ep.* 108.

aliud quid mutuemur, & ſic in amici quisque mores tranſeat. Ego certe minime dubito, & experientia millies didici, ei qui legit diligenter, multa identidem ſuccurrere ex lectionis velut ſeminibus orta, etſi unde & quomodo id fiat, ipſe minus advertat, imo ſuum plane inventum putet. Et eſt plane ſuum; verum ut eſſet, lectio fecit; quia illi in mentem nunquam erant ventura, niſi ipſa præceſſiſſet. Tam molle videlicet, tam certum eſt hominis ingenium, tam facile figuram eorum, quibus apprimitur, ſuſcipere ſolet, & ſuſceptam retinere. Qua de cauſa ſuadent nonnulli, & ſapienter profecto ſuadent, ut antequam ad ſcribendum quis accedit, pulcrum aliquid ex præſtanti auctore relegat apud ſe atque expendat, quod Cicero fecit. Mox enim ubi animus incaluerit, ingentem ea res uſum, atque commoditatem feret. Quia ſpecies, & forma ſermonis in animo conceptæ mox in noſtrum argumentum transfleruntur, ſemperque inde aliquid apparet in fœtu noſtro; quemadmodum de prægnantibus dicitur, cum in formoſas imagines identidem reſpiciunt, & intuentur.

65. Sed ut hæc omnia damus, eſt nihilominus præter lectionem alia adhuc imitatio, quæſita illa, ac ſtudioſe procurata: de qua cogitamus ſæpe, & cujus ope, quæ ſunt lecta ſic immiſcemus nobis atque attemperamus, ut in ſuccum, & ſanguinem adeo convertantur. Atque de iſta hoc loco ſermonem unice inſtituemus, nihil anxii, utrum *Imitatio*, an *Applicatio*, an aliud quidpiam dicenda ſit. Imo ſi omnem uſum, qui extra Lectionem, Adnotationem, Citationem poteſt dari, nomine imitationis compelles, parum refert mea ſententia; nam rebus ſalvis otioſa de verbis diſputatio eſt. Poteſt autem applicatio iſta, ſeu imitatio inſtitui triplici quadam ratione. *Prima* eſt, cum delectum aliquem ſive locum, ſive ſermonem in linguam vernaculam

naculam transfers, verſione non quacunque, ſed libera illa, & quæ contenta non ſit alterius ſenſum repræſentare, aut verba tantum, & numeros, & tropos, ſed res ipſas argumenta ſcilicet, ac reliquum artificium attendat, imo hæc ipſa jam dilatet, jam contrahat, uti lubitum magis ac decens fuerit. Sic enim fiet, ut præter exercitationem ipſam ſcribendi, qua copia verborum, & uſus figurarum comparatur, Inventionem, Diſpoſitionem, Modumque explicandi, & cæteras artes omnes ex alieno ſuas quis faciat, & quin advertat, eandem poſt in diſſerendo teneat rationem. Atque iſtum ego modum junioribus præſertim, qui aliquantum profecerint, valde exiſtimo ſalutarem; nam ceteris non debemus compedes; & vincula ea injicere. Licet autem illo & ad populum uti; ejusque exemplum in Ambroſio habemus, qui hac ratione ex Philone Judæo, ex Origene, ex Baſilio magno juſtos ſermones vertit, & coram ſuis pronuntiavit. *Alter modus* priore multo communior, atque etiam facilior iſte eſt, ſi quæ ab auctore tibi propoſito ſublimius, atque ornatius dicta ſunt, ipſe velut deprimas, & tuorum genio, ruditati, hodiernisque moribus accommodes: contra ſi quæ ſunt neglectius, atque ſimplicius prolata, attollas magis, & ſicubi licet per auditores, verborum æque ac ſententiarum veluti gemmis, ac luminibus exornes. Idem eſt, ſi affectum aliquem ab eo cæptum duntaxat, aut ſignificatum, vel ejusmodi aliud quid velut aureum filum diducas latius documenta inde, & ſententias eruas, atque amplifices; quod iterum communiſſimum etiam cum magnis ne dicam ſummis oratoribus. *Tertius modus* eſt, cum ipſam materiam ac corpus orationis ita aſſumis, ut melius ordines, & quæ Pater ille ſparſim ſine lege eſt commentatus, redigas in ordinem, partitionem facias atque ex iis *primo* loco ponas, quod ille verbi cauſa ex ſcripturis, *ſecundo,*

ſecundo, quod ex ratione, *tertio*, quod ex experientia probat. Iterum, ſi ſingillatim nunc *rationes*, nunc *praxin*, nunc inter ipſas rationes ſeparatim, eas quæ ab *honeſto*, *utili*, *jucundo*, *neceſſario* petuntur, pertractes. Rurſum ſi reſpicias *cauſas*, *effectus*, *remedia*; quæ ad *Deum*, *proximum*, *ſeipſum*, referuntur, ſi denique quæ *corpus*, dein *animam*; quæ *peccatores*, quæ *juſtos* concernant, diſpeſcas. *Quartus modus* eſt, ſi quod Pater aliquis ad unum hominem elegantius ſcripſit in epiſtola, tu extendas ad omnes, non ſolum omiſſis, quæ hunc unum ſpectant, verum argumenta quoque, ſtylum, mores accommodando cathedræ, ſupplendo affectus, addendo ſimilia &c. *Quintus modus* eſſet, ſi quis magnam partem ipſam rationem dicendi homiliaticam ſequeretur. Quod hac ætate unus tentavit Peickartus, ſed ſane haud ſatis feliciter. Ipſi quoque Galli, verum raro admodum eo ſe demittunt, uti in Sermonibus de *Chananæa*, de *filio prodigo*, de *Magdalena*, &c. Exemplum ejusmodi præclarum dat Gisbert. *cap.* 9 *de Eloquentia Chriſtiana.* Putat autem de la Bruyere populares ſuos, ſi hæc audirent ſæpius, procul dubio dilapſuros omnes, neque revocandos facile. Contrarium ſentit Rollinus, qui aſſerit, dubitari merito poſſe, num hodie ſatius foret, loco orationum myſteria, exempla, & doctrinas Servatoris ex ordine declarare populo, omnesque Inſtitutiones ipſius ſcripturæ verbis ita ſubnectere, ut quaſi ex fontibus petita religio animis audientium infunderetur. Probatur autem illi præ ceteris ratio, quam ſanctus Chryſoſtomus paſſim in ſcripturas, & S. Auguſtinus ſuper Joannem præcipue tenuerunt: hancque ſperat, non plebi ſolum acceptam fore, & ſalutarem, ſed doctis etiam quam maxime placituram.

66. Utut ſit, illud hoc loco moneri debent Concionatores, ne vereantur plura, aut etiam pleraque

Patrum transferre in uſus ſuos, imo ex uno aliquo, cujus argumentúm plenius tractarunt, plures continenter ſermones, effingere. Et miror hic libertatem recentiſſimi hominis, qui ut aliis in rebus plurimis de eloquentia ſacra velut pro poteſtate definit, ſic ubi eos, qui ex ſermonibus Patrum conciones faciunt, aut locos prolixiores inde mutuantur, plagii inſimulat. Superi! quo demum deveniet pruritus ille argutandi, atque omnia ad tribunal ſuum revocandi! aut quare obſecro relicta nobis hæc ſcripta ſunt, velut niſi ut iis utamur præ ceteris, non ad dogmata modo ſtabilienda, verum ad mores quoque componendos? ut mittam alios, ipſe adeo Chryſoſtomus locum inſigniorem, eumque ſat fuſum de pulcritudine fœminea ex divo Ephræm ita exſcripſit, ut vix quidquam mutaret, & nec mentionem quidem ejus faceret, a quo accepiſſet. Idem in epiſtola quadam S. Nilus fecit, in quam Baſilii non ſententias tantum, ſed verba quoque transtulit. Quod quam non ſit novum apud Patres, imo alios antiquiores ſcriptores, tum in *Diatriba de Nilis*, tum in *Tractatu de conſcribendis epiſtolis* hac ipſa occaſione Leo Allatius oſtendit. Sed etiam illuſtriſſimus Maſſillon, (ſi recentius exemplum placet) exhortationem ſuam ad Moniales magnam partem ex *epiſt.* 211. *alias* 109. divi Auguſtini eſt mutuatus. Recte ſcilicet Theodoretus *Prologo in Cantica* pronuntiavit: *Nec furti nos inſimulent, ſi quid, quod a Patribus dictum eſt, in his commentariis offenderint. Fatemur enim & nos ab illis explanationis occaſionem accepiſſe. Hoc autem non furtum, ſed paterna hæreditas eſt.* Equidem probe perſpicio de Patrum arbitrariis quibùsdam explanationibus ſermonem hic eſſe: verum, quod par utrobique ſit ratio, univerſe accipiendum eſt, & noſtris quoque Ariſtarchis ſervit frænum, quod ſummus ille doctor antiquioribus, etſi minus den-

tatis

tatis injecit *: Verum ne ſtomacho, ultra quam par eſt, indulgeamus, revertamur ad propoſitum. modisque illis, quibus Patres convertere in rem noſtram poſſumus, recenſitis pro more priorum capitum leges quasdam promulgemus. Judicio nimirum quam maxime opus eſt hac in parte; ſecus plus nocebit aliquibus qualiscunque imitatio, quam ceteris proſit. Quemadmodum enim qui valentiore ſunt ſtomacho, cibum omnem, quem capiunt, diggeſtum reddunt, & calore ſuo ita concoctum, ut in naturam illico vertatur: contra quibus frigidior obtigit, quidquid receperint, reddunt quidem & ipſi, ſed corruptum, longeque deterius; ita & hic fieri apud imitatores conſuevit. Sit ergo

CAPUT II.

Leges imitandi.

Lex I.

67. Hæc eſt, ut non niſi optima exemplaria deligamus. Ita ſæculares Cicero, Plinius, Seneca, Quintilianus de ſuis præcipiunt, ita nos de noſtris. Jam enim & hoc faſſi ſumus, non omnes latinos eſſe eloquentes. Quod ſi ergo in deteriores quidam incidunt, ut notiſſimo verbo dicam, vitium pro exemplo erit, atque ut in vitioſis parentibus fieri ſolet, *mox daturi ſunt progeniem vitioſiorem.* Sunt deinde, qui habent pulcra vitia, quæ quis continuo multo ante virtutes ab iis trahit. Continget proin, quod Quintillianus *Libr. X. cap. I. de*

---

* Sileo illa, Auguſtinus *Libro IV. de doctrina chriſtiana cap.* 29. de iis, qui conciones aliorum pronuntiant. Nec tamen ideo laudem prædones eos, qui ſumma ignavia inſidiantur alienis laboribus, Notarii ſcilicet, non oratores.

de imitatoribus Senecæ advertit: *amabant eum magis, quam imitabantur* (id eſt aſſequebantur) *tantumque ab illo deſluebant, quantum ille ab antiquis deſcenderat. Foret enim optandum pares, aut ſaltem proximos illi viro fieri; ſed placebat propter ſola vitia, & ad ea ſe quiſque dirigebat effingenda, quæ poterat: deinde cum ſe jactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat.* Atque hoc, quantum ad Patres, tropos maxime ſpectat, allegorias, ſimiliter deſinentia &c. quibus eorum aliqui ultra modum ſane indulſerunt.

Lex II.

68. Non omnia vel in optimis ſunt Patribus imitanda. Neque enim diſſimulo etiam iſtis eſſe vitia ſua * hæc autem quo minus notentur, effecerunt magnis virtutibus, quibus illa velut abolita, & tantum non contumulata ſunt. Nolent hoc ſibi juniores præſertim, qui quidquid fere apud eos, quos ſequuntur, repererint, dicendi legem putant; & quoniam eſt facilius æmulari pejora, putant ſe ſimiles eorum, quorum ſunt vitia aſſecuti. Ad imitandum ergo ne quidem in ſummis aſſume alia, quam quæ ſumma ſint. Et abundant hæc apud eos, ut non ſit locus deliberationi, num media, inſimaque illa dimittere velis. Eleganter Hieronymus *Epiſt.* 65. *nunc* 84. ad imitatores Origenis: *Non imitemur ejus vitia, cujus virtutes non poſſumus ſequi.* Nihil autem frequentius ratione hac imitandi, & videas multo plures, qui quod eſt malum apud aliquem reddant deterius, quam qui bonum, quod habet, paulo melius repræſentent. *Decipit exemplar vitiis imitabile,* inquit Horatius **, id eſt, ut

* Libro ſecundo & tertio.
** *Libro I. Epiſt.* 19.

ut explicat Deſprez: *Præclarum exemplar quodlibet vix omnino vitiis caret, & ſtultum imitatorem decipit, qui, non quod perfectum, ſed quod forte vitioſum ineſt, imitari ſolet.*

Lex III.

69. Ne imitemur unum duntaxat. Diſtinctæ & ſeparatæ ſunt virtutes; nec in uno ſumma omnia reperire eſt. Numquam ergo quem primum putas, etiam ſolum putes imitandum. Prudentis eſt, quod in quolibet vidit optimum, id, ut maxime poteſt, ſuum facere. Atque ita in ceteris rebus in cibis, in veſtibus, gemmis, metallis videmus fieri. Non enim eminentiſſima ſemper, verum & alia iis proxima uſurpantur. Habent & iſta, quæ addant pretium. Inferiora ſunt in ceteris; ſed in aliquo ſuperant, ac longiſſime antecellunt. Opes ergo complurium diripe, facilius obtenturus per partes, quod in una fruſtra requiris; nam velle totum exprimere pene homini inconceſſum. Nec confuſionem cauſeris inde orituram. Eleganter enim Seneca *Epiſt.* 84. „Dein (debemus) adhibita „ingenii noſtri cura & facultate in unum ſaporem „varia illa libamenta confundere; ut etiam, ſi apparuerit, unde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe, quam „unde ſumptum eſt, appareat. Quod in corpore „noſtro videmus ſine ulla opera noſtra facere na„turam. Alimenta quæ accepimus, quamdiu in „ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtoma„cho, onera ſunt: at cum ex eo, quod erant, mu„tata ſunt, tunc demum in vires, & in ſanguinem „tranſeunt. Idem in his, quibus utuntur ingenia, „præſtemus; ut quæcunque hauſimus, non patia„mur integra eſſe, ne aliena ſint; ſed concoqua„mus illa; alioquin in memoriam ibunt, non in „ingenium„. Dein aliis in eandem rem interjectis nova, eaque admirabili ſimilitudine utitur:

„Non

„Non vides, quam multorum vocibus chorus con-„ſtet? unus tamen ex omnibus ſonus redditur: „Aliqua illic acuta eſt, aliqua gravis, aliqua media: „accedunt viris fœminæ, interponuntur tibiæ, ſin-„gulorum illic latent voces, omnium apparent.„

Lex IV.

70. Imitandi potiſſimum, qui magis ad indolem faciunt. Itaque legere ceteros potes, ſed ſectari non debes. Id ut fiat, characterem oportet ſcias, & cujusque veluti faciem noſcas *. Qua in re antiqui ſoliciti fuerunt, ut qui notarent accuratiſſime, atque perſcriberent, quo ſinguli excelluerint maxime, & quid habuerint in dicendo peculiare. Ita in hoc ſtructuram, in iſto judicium, in illo ſuavitatem, in alio vim, iterum in alio ubertatem, numeros, elegantiam laudarunt, propoſueruntque imitanda. Hac de cauſa libro ſecundo & tertio notas eloquentium Patrum non tam meis quam ſummorum hominum verbis declaravi. Quos ergo convenire tibi vides, in iis habita, his ſolis te trade, in hoc præcipuo quodam ſtudio incumbe. Neque enim reperies alios, quorum ſit imitatio facilior, atque adeo utilior futura. Hic eminere potes, non in ceteris. Quod quotidie videmus, cum unus tentat infeliciter, quod ad votum alteri ſucceſſit; non alia ſane de cauſa, quam quod ille, quæ erant ad genium, delegit: iſte non vires, non ingenium non naturam conſulens & ſeipſum, & quem eſt ſecutus, pariter ignoravit.

Lex V.

71. Si cui aſſueſcas in uno genere, ne idcirco & in alio ducas retinendum. In quo ſane quam plurimi

* Vide Præfationem Libri ſecundi.

rimi falluntur. Verbi gratia delectat aliquos aſperitas cujusdam Patris: hanc etiam in leni, & remiſſo genere non exuent. Atque ita de tenuitate; quam ſi quis ſemper vult ſectari, ille in actione quadam graviſſima, & ampliſſima ponderi rerum minime reſpondebit. Eſt enim diverſa conditio non cauſarum modo, ſed & partium ejusdem cauſæ, in qua alia leniter, alia aſpere, concitatius alia, & iterum alia remiſſius ſunt tractanda. Jam enim docemus, jam delectamus, jam movemus; quorum omnium cum diverſa, & plane nova ſit ratio, non poteſt idem auctor ſingillatim univerſis deſervire. Paria jungantur, ita quidem, ut unum cum altero conveniat, & ſtylus non exemplari, ſed materiæ & argumento attemperetur. Id ut facilius præſtes, factu optimum erit, ſi antequam ad ſcribendum te accingis, de ipſo illo genere, in quo ſit verſandum, ſelectius quiddam attente legas. Increpandus eſt aliquis, & efficaciter periculi, officiique admonendus? lege aliquid ſive Cypriani, ſive Chryſoſtomi, ſive Hieronymi, ſive Salviani. Si vero leniorem te, ſuavioremque res exigat, ſanctum Eucherium cape. Si docere vis clare, facile, & naturæ ſervato ordine, Baſilium ſume in manus. Atque ita de ceteris, quemadmodum nempe ex ſecundo, & tertio libro noſti. Sic autem fiet, ut lectionis ejus veluti quodam guſtu imbutus, atque ubertatem & copiam nactus levi brachio & cauſæ magis accommoda promas, & modo ipſo ſcribendi, totaque dictione eundem illum referas, quem imitandum aſſumpſiſti.

LEX VI.

72. Non ſit ſervilis imitatio; ſed in omnibus ducem naturam ſequatur. Error eſt non vulgaris totum ſe transferre in alios: & recte Cicero *Libro I. de officiis: Admodum,* ait, *tenenda eſſe ſua cuique,*

que, non vitioſa, ſed tamen propria; quo facilius decorum illud, quod quærimus, retineatur. Et paulo poſt: *Id enim*, addit, *maxime quemque decere, quod eſſet cujusque ſuum maxime.* Atque iſtud ipſus in imitando Demoſthene cura ſumma obſervavit, cavens ubique, ne habitum nativum amitteret verius, quam expoliret. Accedit, quod plerumque ſit facilius facere plus, quam idem, & ſuperare auctorem, quam exprimere. Rara enim eſt ſimilitudo perfecta, quam nec natura ſuis legibus incluſit; natura inquam cujus vel ſimillima ſemper variant pluribus rebus; ac diſtinguuntur. Itaque cogita poſſe fieri, imo futurum certiſſime, uti tuum amittas imitando, & alienum minime aſſequaris. Adde quod quidquid alteri eſt ſimile, neceſſe eſt, minus ſit eo, quod imitatur, ut umbra corpore, & imago facie, & actus hiſtrionum veris affectibus. Quod proin debet & in orationibus evenire; quia iis quæ in exemplum aſſumimus, ſubeſt natura, & vera vis; contra omnis imitatio facta fictitiaque eſt, & ad propoſitum alienum commodatur. Ergo qui ſe cuicunque etiam principi unice tradit, totumque addicit neminem alium audiendo vel reſpiciendo; longe erit ab illius perfectione; ipſius æqualitatis natura ſic ferente, ut cum attenti eſſe in omnibus volumus, otioſi in compluribus, atque adeo ſupini deprehendamur.

Verum & alia ſunt in imitando, quæ multo majorem habeant ſervitutem. Qualia ſunt, ut ſententia auctoris mutata, retineas verba, vel contra retenta ſententia verba permutes: denique ut ſerves utrumque fere totum ſeu ſimili, ſeu diverſo in argumento. Non minus ineptum, ſi ad Patris alicujus ſermonem ſervatis *nexibus*, *figuris*, ipſisque *locis* effingas alium; aut ex panegyri, cuidam ſancto dicta, laudationem ſancti alterius exſculpas. Hæc ſane omnia puerorum ſunt, libertatem eripiunt,

& jugum oratoribus intolerabile imponunt. Ad talium unumquemque exclames cum Flacco *Libro I. Epiſt.* 19.

O imitatores ſervum pecus, ut mihi ſæpe
Bilem, ſæpe jocum veſtri movere tumultus! *

Æque ſervile, cum non tam res Patris, quam verba, & familiares numeros ſectamur. Erat hic error antiquorum ad Occidentem monachorum, quiquod fere latinos Patres legebant, *ſimiliter cadentia*, quæ in illis invenerant, ita ſectati ſunt, & in deliciis habuerunt, ut quidquid ſcriberent, rhytmicis iis clauſulis, & affectato tinnitu perſonaret. Eodem errore etiam pueri capiuntur, ut quibus hoc proprium, ut ſiſtant ſemper in exterioribus, putentque ad unguem ſe imitari, ubi adventitium aliquid idque minimum expreſſerunt. Penetrandum eſt ad interiora, non extima facies aptanda, non phraſes venandæ. Hoc autem in Patribus tanto eſt magis cavendum, quod hæc ultima illis cura fuit; ut eſt uberrime Libro primo demonſtratum. Accedit, quod verba nunquam per ſe ſive bona, ſive mala poſſunt dici (quid enim ſunt, niſi ſoni?) ſed vel pulcritudo omnis in eo eſt, ſi quam propriiſſime, & opportuniſſime, denique ita collocentur, ut ſint accomodata rebus, & cum varietate gratiam quoque, & delectationem efficiant. Quamquam in verbis imitandis non eſt, quod magnopere a Patribus timeatur, niſi forte iis, qui libros ſcribent; nam in concionibus nec latine jam, nec græce dicimus, nec alium ullum ſermonem, quo ſunt Patres uſi, adhibemus.

LEX

* In eodem præclare Polybius in *Fragment.* pagina mihi 1013.

Lex vii.

73. Attendendum ſemper ad rationem cum loci, tum temporis, tum orationis, ipſorumque auditorum. Multa enim ſcripſerunt Patres, quæ pro ætatis eorum conditione placuerunt omnibus: tamen ſi in exemplum ubique traherentur, non idem ſint pondus, non gratiam eandem habitura. Neque dubito ego, quædam, ſi modo viverent, longe aliter dicturos fore ad noſtros homines, atque ad ſuos olim dixerunt. Sed & iſtuc attendendum eſt, quantum diſcriminis intercedat, cum antiſtes, aut vir ſanctus a commercio cum Deo redux conſcendit ſuggeſtum: & cum juvenis quidam de grege Clericorum ſui periculum vult facere. Sæpe enim ejusmodi homunculi, cum legunt verbi gratia in Chryſoſtomo, quomodo nec magiſtratibus ille ſatis parceret, minaretur excluſionem a ſacris, aut contra velut pater ebrius amore filiorum complecteretur ſuos, & ſinu foveret, talia continuo invadunt, ac veluti purpuram panniculis, & centonibus ſuis aſſuunt. Recte ita Chryſoſtomus; ſed tu ridicule, quare! quia Chryſoſtomus non es, cui tum ex muneris auctoritate, tum fama ſanctitatis plurima licebant, & in quo præterea non pauca ſunt divinis impulſibus danda. Quod ſi ergo te ejusmodi aliquid delectat, da prius operam, ut totus ille in te compareat, quem imitaris, indue mores. & cor, cujus linguam amas, virtutem ſequere, conſtantiam, charitatem, vitæque auſteriſſimæ exempla ſectare, & tum enimvero etiam cetera licebit imitari; imo ne tum quidem; quod etſi probus ſis, & maximæ pietatis, poteſtate ea deſtitutus es, quam Paſtor communis, tantæque celebritatis orator ampliſſimam apud ſuos, ac plane admirabilem obtinebat.

Lex VIII.

74. Imitatio ne frequens ſit, & nimia. *Eſt* enim *modus* in rebus, uti ſæpe monendum, & *omne nimium vertitur in vitium.* Ad juniores rurſum hoc maxime ſpectat, qui, quod ſemel arriſerit, tam immodice uſurpant, tam frequenter ingerunt, tam oſtentant ambitioſe, ut lector advertat denique, nec poſſit non faſtidire ob ſummam, quæ eſt in eo judicii inopiam, & putidiſſimam affectationem. Exemplis conſultius eſt abſtinere; ſi enim aliquod a malis oratoribus ducerem, novitatem amitteret, ſi a bonis, invidia non careret.

Lex IX.

75. Imitatio ſemper ad meliora debet, perfectioraque conniti. Nimis enim eſt timidus, qui nihil prorſus ſuſcipiat ſine auctore, pedemque non auſit figere, ubi dux ſubſtitit, aut nullum ejus veſtigium deprehenditur. Audendum aliquid; nihil eſt in rebus humanis, quod perfici magis non poſſit. Certe omnibus in negotiis fieri conſuevit, ut poſteriores non aſſequi tantum, verum poſt ſe relinquere priores adlaborent: a quo ſi deſperatione aliqua deſiſterent, nihil profecto magnum, eximium nihil haberemus. Atque ita hac in re, de qua ſermo eſt nobis, concionatores, qui celebritatem ſunt nacti, exemplo nobis ſuo fere omnes præluxerunt. Ubique in Burdaluæo, Boſſueto, Maſſillonio, Ruæo, Cheminaiſio, Segaudo, Griffeto, Chaplainio, Perino aliqua occurrent, ubi inſignes quoſdam Patrum locos æquaſſe non contenti multis etiam paſſibus ſuperarunt. Ergo qui alienis propria bona de ſuo adjecerit, vel ſupplendo, quod deerat, vel quod redundabat, demendo, is erit quem quærimus, perfectus imitator: atque adeo orator perfectus; quales iſti, quos dicebam omnes fuerunt.

Acce-

Accedit illud quoque minime prætereundum, quod qui ſumma non appetunt, contendere tamen ſemper debent ad ſumma, qui enim agit ut aliquo prior ſit, facilius certe eum æquabit: is autem, qui ſequi duntaxat cupit, nunquam aſſequetur, & neceſſe eſt, ut ſit poſterior illo, in cujus veſtigiis ponere pedem conſueverit.

Lex x.

76. Etſi Patres imitamur, non propterea profanorum præſtantiſſimi dimittendi ſunt, aut etiam ſacri recentiores, qui præ ceteris eloquentia excellunt. Nam & alias dixi diſertiſſimos Patres ad priorum facundiam non pertigiſſe; immo exemplar hinc petere ipſosmet fuiſſe ſolitos. Contra non ita inhærendum imitationi aliorum, ut Patribus propterea non utamur diligenter. Et profecto ſæpiſſime evenit, illos ipſos Patres, qui facundia ſæcularium ſuam juverunt, in ſacris ſimul imitandis, utendisque omnium ſtudioſiſſimos extitiſſe. Id quod in Minutio Felice, in Cypriano, in Paciano, in Nazianzeno, in Hieronymo, in Iſidoro Peluſiota, in Joanne Damaſceno, & aliis pluribus, etſi ſileam ego, ipſæ res loquuntur. Neque enim dubitabant illi, jam ipſa verba, jam jntegras ſententias; jam declarandi, & inculcandi modos; jam argumenta, & rationes; jam converſiones figurarum ab utrisque accipere: uti dudum ab Editoribus eorum eſt ſæpe oſtenſum, atque adeo ipſimet aperte ſunt profeſſi. Ceterum tu ſi ex Ethnicis, aut etiam aliis qui Patres non fuerint, proficias ſubin, atque exſcribas; cave prodas ullo modo; frui laboribus licet, ſed oſtendere non licet; quod majeſtati ſcilicet divini verbi id repugnaret. Occultandum eſt ſtudioſe, ne deprehendatur pium furtum, ſpoliumque Aegypti. In quo admirabiles divi Nazianzenus, & Chryſoſtomus extiterunt. Sicubi enim So-

cratis, Demoſthenis, Epicteti veſtigia terunt, delent ea dexterrime, & ſemper velut pulvere obſita relinquunt, ne palam res fiat, & non dico oculis, ſed conjectura ſolum teneri poſſit. At præceptorum plusquam ſatis. Neque enim aliud propoſitum habuimus, quam ut pro inexpertis, in quorum præcipue commodum hæc tractatio ſuſcipitur, quædam exempla loco coronidis ſubjungamus. Hæc enim in re *practica*, qualis iſta eſt, omnium optime expedire dubia ſolent, atque obſcuris lucem afferre.

CAPUT III.

EXEMPLA.

77. Ante omnia ducem vel ex ipſis Patribus debemus habere, præcipuum aliquem, atque ex profeſſo oratorem, divum Cyprianum videlicet. Hic, ut eſt alias dictum, Tertulliani popularis ſui, quem magiſtrum elegerat, & maximi præ latinis omnibus faciebat, ubicunque licuit, veſtigia perſequitur: In *Scriptis*, ait Pamelius, intimus cognitor utriusque & editor in paucis clarus, *in ſcriptis ſuis omnibus, quam perpetuo Tertullianum imitaretur, ſæpiſſime commonſtravimus* *. Etſi enim & Minucius Felix, & Pacianus ex eodem auctore profecerint plurimum: etſi haud parum inde nervi, & auſteritatis combiberit ipſe Hieronymus: nemo tamen propius ad eum atque Cyprianus acceſſit. Confer Libros eorum, & videbis, quam accurate latas ante leges ſanctiſſimus Doctor obſervaret. Et *primo* quidem Cyprianus ſtudioſe eandem ſibi materiam deligit, illum ipſum campum ingreditur, in quo Tertullianus excurrerat. Scripſit ille contra *gentes*, contra *Judæos*, contra *Hæreticos*; ſed & iſte adver-

* *In vita Tertulliani.*

adverſum eosdem ſcribit. Habemus Tertulliani libros contra *Spectacula*, de *Oratione* ad *Martyres*, de *Pœnitentia*, de *Patientia*, de *cultu fœminarum*, de *Virginibus velandis* & de caſtitate, ſeu *Pudicitia*. Eadem & apud Cyprianum univerſa reperies, ſive libris eodem titulo inſignitis, ſive alibi occaſione alterius argumenti pertractata *. *Secundo* locos Tertulliani, qui ceteris eſſent ſignificantiores, quique ad perſuadendum & movendum valerent, Cyprianus diduxit magis, expandit atque elimavit. *Tertio* non omnia, quæ in Tertulliano legebat, ſed digniora ſolum eſt imitatus. Et quidem præcipuo ſtudio opus fuit ne in ſtylum ejus difficilem, implexosque laconiſmos aliquando incideret. Itaque factum eſt, ut cum Tertullianus fere inacceſſus ſit plurimis, atque obſcuritate ſua tantum non inſuparabilis habeatur, ipſe & legatur ab omnibus facillime & mirum quantum adametur. Sed & ſcabritiem Afrorum propriam, & quæ Arnobio, Auguſtino, Fulgentio, & ceteris nationis ejus vitio datur, fere unus vitavit. Atque iſtuc quidem celeberrimi quoque ſcriptores notarunt. Ex quibus Cardinalis Bona Cypriani veluti characterem in eo ponit: *Tertullianum*, ait **, *in quibusdam opuſculis imitatus eſt, ſed ſtylo clariori, & elegantiori.* Idem monet Pontanus loco paulo ante allegato. Nihil jam dico, quomodo nihil attraxerit rigoris, & reliquarum opinionum ejus; quod quam facile contingat legentibus, ex iis conjectari licet, qui vel venena tractant, vel infectum aërem hauriunt. Audiamus

 Hie-

* Iſtuc Cyprianum etiam ea de cauſa feciſſe Jacobus Pontanus affirmat, quod metueret, ne tanti viri ſcripta interirent, plerisque ab eo lectitando alienis; quod nimirum ab Eccleſia in hæreſes deſciviſſet. *Libro II. Philocaliæ cap.* 18.

* *In notitia Auctorum.*

Hieronymum qui *epiſt.* 65. *nunc* 42. *ad Pamach.* & Ocean. ita habet: *Beatus Cyprianus Tertulliano Magiſtro utitur, ut ejus ſcripta probant, cumque eruditi, & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum tamen cum eo, Maximillamque non ſequitur.* Neque omittendus eſt Prudentius Maran, qui in *vita Cypriani* § *III.* ita eleganter in rem noſtram ſcribit. *Sed ſi legendi Tertulliani adeo ſtudioſus fuit Cyprianus, non minus diligentiæ adhibuit in ejus erroribus cavendis, vel potius refellendis. Nam ut omittam unitatem Eccleſiæ, quam a Tertulliano violatam ſtrenue defendit Cyprianus: quot extant ſancti Martyris ſententiæ de juſta in lapſos indulgentia, totidem videntur eſſe in Tertullianum aculei. Quarto* non imitatus eſt eum ſolum. Præterquam enim, quod divinis literis impenſe vacaret, easque totas in locos communes diggereret, neque alios etiam eccleſiaſticos auctores dimiſit. Quod vel ex ſolo Minucio patet, quem Cyprianus diligentiſſime volvit, & ſententias ſemper in loco ſuo veluti gemmas aptavit. *Quinto* non ita Tertullianum induit, ut ſeipſum exueret, verum quidquid naturæ beneficio, & exercitatione artis obtinuerat, id omne retinuit. Quo factum, ut cum doctus, & efficax eſſet, quod Tertullianus fuit, floridus præterea, & ſuavis, & clarus, & rotundus eſſet, quod Tertullianus minime fuit. *Sexto* nihil in ejus imitatione nimium, affectatum nihil, aut longius accerſitum. Neque enim eadem repetit aliquando, ſed una diligentiam ille ſuam ac moderationem ſemper oſtendit. *Septimo* ad rationem quoque loci, temporis, & muneris ſui ſolicite Cyprianus attendit. Cum enim magiſtro uteretur, qui naſum corrugabat ſæpius, & amarum ridebat, in diſcipulo, ſola *ad Pupianum epiſtola* excepta, nihil omnino invenies, quod ad riſum faciat, ſed gravitatis tanto Epiſcopo propriæ retinentiſſimus Cyprianus, ac præ aliis ſtudioſus fuit. Quod ipſum

in

in eo peculiariter Eraſmus quoque notavit & commendavit. *Octavo* imitatio Cypriani ſemper ad melius connititur, ſuntque effigies ejus omnes exemplari multo perfectiores. Quod ipſi difficile non fuit, tanto dicendi uſu & elegantia longe majori prædito: atque adeo tum primum quantus fuerit Tertullianus apparet, quando e Cypriani manu velut lima, & ſecuri ſua exiverit. Proderit ejus rei ſpecimen aliquod addidiſſe. Aſſumamus autem locum de tormentis chriſtianorum, in quo ſatis frequens eſt Tertullianus *. Objicit ibi Tertullianus, legum peritiſſimus, chriſtianos contra jus, & fas omne tormentis ſubjici, quod eſſent & profeſſione vitæ, & ipſorum gentilium teſtimonio plane innoxii. Quod ſi vero & nocentes forent, judicari eos, uti cæteros nocentes oportere; damnandos ſcilicet, cum confeſſi crimen eſſent, minime autem cruciandos. „Vociferatur homo: chriſtianus ſum. Quod eſt, dicit: „Tu vis audire, quod non eſt. Veritatis extorquendæ Præſides de nobis ſolis mendacium elaboratis audire. Hoc ſum, inquit, quod quæris, an ſim. Quid me torques in perverſum? Confiteor „& torques! quid faceres, ſi negarem? *Et iterum*: „Civilis non Tyrannica dominatio eſt. Apud Tyrannos enim tormenta etiam pro pœna adhibentur: apud vos ſoli quæſtioni temperatur; veſtram „illis ſervate legem usque ad confeſſionem; & „jam, ſi confeſſione præveniuntur, vacabunt. Sententia opus eſt. Debito pœnæ nocens expungendus eſt, non eximendus.„ Ita in loco laudato *apologetici*. „Potes & officio tuo fungi, (ait „ad Scapulam) & humanitatis meminiſſe. Vel „quia & vos ſub gladio eſtis. Quid enim amplius „tibi

* Ut in *Apologetico cap.* 2. *Libr. I. ad Nationes cap.* 2. *ad Scapulam cap.* 4.

„tibi mandatur, quam nocentes confeſſos dam-
„nare, negantes autem ad tormenta revocare?
„Videtis ergo, quomodo ipſi vos contra mandata
„faciatis, ut confeſſos negare cogatis. Adeo con-
„fitemini, innocentes eſſe nos, quos damnare ſta-
„tim ex confeſſione non vultis. Si autem con-
„tenditis ad elidendos nos, jam ergo innocentiam
„expugnatis. . . . . pro tanta innocentia, pro tanta
„probitate, pro juſtitia, pro pudicitia, pro fide,
„pro veritate, pro deo vivi cremamur, quod nec
„ſacrilegi, nec hoſtes publici, verum nec tot ma-
„jeſtatis rei pati ſolent. . . . crudelitas veſtra glo-
„ria eſt noſtra.„

Studioſe elegi locum, ubi non brevior ſolum, ſed & clarior eſt; hunc vero Cyprianus *Libr. ad Demetrianum, ante medium* quam nitide, quam numeroſe, quam vehementer expreſſit!

„Innoxios, juſtos, Deo caros domo privas, pa-
„trimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis,
„beſtiis, gladio, ignibus punis. Nec ſaltem con-
„tentus es dolorum noſtrorum compendio, & ſim-
„plici, ac veloci brevitate pœnarum: admoves
„laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas
„lacerandis viſceribus numeroſa ſupplicia, nec feri-
„tas, atque immanitas tua uſitatis poteſt contenta
„eſſe tormentis, excogitat novas pœnas ingenioſa
„crudelitas. Quæ hæc eſt inſatiabilis carnificinæ
„rabies? quæ inexplebilis libido ſævitiæ? quin po-
„tius elige tibi alterum de duobus; chriſtianum
„eſſe aut eſt crimen, aut non eſt: ſi crimen
„eſt; quid non interficis confitentem? ſi crimen
„non eſt; quid perſequeris innocentem? torqueri
„enim debui, ſi negarem. Si pœnam tuam me-
„tuens, id quod prius fueram, & quod deos
„tuos non colueram, mendacio fallente celarem,
„tunc torquendus fuiſſem, tunc ad confeſſionem cri-
„minis vi doloris adigendus; ſicut in ceteris quæ-

„ſtio-

„ſtionibus torquentur rei, qui ſe negant crimine, „quo accuſantur, teneri, ut facinoris veritas, quæ „indice voce non promitur, dolore corporis expri„matur. Nunc vero cum ſponte confitear, & cla„mem, & crebris, ac repetitis identidem vocibus „chriſtianum me eſſe conteſter: quid tormenta „admoves confitenti; & deos tuos non in abditis, „& ſecretis locis, ſed palam, ſed publice, ſed in foro „ipſo magiſtratibus, & præſidibus audientibus de„ſtruenti? ut etſi parum fuerat, quod in me prius „minabaris, creverit quod & odiſſe & punire plus „debeas? quod dum me chriſtianum celebri loco „& populo circumſtante pronuntio, & vos, & „deos veſtros clara, ac publica prædicatione con„fundo. Quid te ad infirmitatem corporis ver„tis? Quid cum terrenæ carnis imbecillitate con„tendis? cum animi rigore congredere, virtutem „mentis infringe, fidem deſtrue, diſceptatione, ſi „potes, vince, vince ratione. Vel ſi quid diis tuis „numinis, & poteſtatis eſt, ipſi in ultionem ſuam „ſurgant, ipſi ſe ſua majeſtate defendant. Aut quid „præſtare colentibus poſſunt, qui ſe de non colen„tibus vindicare non poſſunt? Nam ſi eo, qui vin„dicatur, pluris eſt ille qui vindicat, tu diis tuis „major es: ſi autem iis, quos colis major es, non „tu illos colere, ſed ab ipſis potius coli debes, & „timeri ut dominus. Sic illos læſos ultio veſtra de„fendit, quomodo & clauſos, ne pereant, tutela „veſtra cuſtodit. Pudeat te eos colere, quos ipſe „defendis, pudeat tutelam de iis ſperare, quos tu „ipſe tueris.„

Ubi vides, quomodo ille, quæ eſſent Tertulliani, felicius omnia reddat, & de ſuo aliquid, quod huc maxime facit, ſuperaddat. Verum exemplari iſto veluti in anteceſſum præmiſſo, age ſpeciatim ad ſingularia nunc deſcendamus.

Exemplum ſententiæ expreſſæ magis, & exornatæ abſque amplificatione.

78. Illuſtriſſimus Boſſuetus de ſtatu religionis ante Servatoris adventum loquens: „ Omnia deus „erant, (inquit) præter Deum; & mundus, quem „ad oſtenſionem potentiæ ſuæ Deus fecerat, in fa„num aliquod idolorum migraſſe videbatur * „. Præclara profecto, & felix cogitatio! ſplendida, ſublimisque ſententia! verum imitatione divi Cypriani expreſſa, qui Libro ante dicto *ad Demetrianum, ante medium* ita dicit: „ Fumant ubique in „templis veſtris hoſtiarum buſta, & rogi pecorum; „& dei altaria vel nulla ſunt, vel occulta. Croco„dili & cynocephali, & lapides & ſerpentes a vo„bis coluntur; & deus ſolus in terris aut non co„litur, aut non eſt impune, quod colitur.„

Exemplum ſententiæ amplificatæ.

79. S. Thomas a Villanova ex Auguſtino ** quem maxime legebat, ſententiam illam, *ab aliis virtutibus poſſe ſe aliquem excuſare, ſed a charitate neminem*, ita, ad Deum ſe convertens, amplificat: „Ut nemo a vita excluderetur, vitam in amore „poſuiſti; quoniam cunctis præſto eſt amare te. „Si in alio quopiam opere noſtra conſiſteret ſa„lus, excluderentur nonnulli, excuſarentur plurimi; „quibus tale opus non eſſet aut poſſibile, aut fa„cile: ſicut ſi in eleemoſynarum largitione ſalvos „nos eſſe voluiſſes, excluderetur egenus: ſi in je„junio, excluderetur ægrotus, ſi in doctrina, ex„cluderetur idiota: ſi in virginitate, excluderetur „uxor: ſi in paupertate, excluderetur dives &c. „At vero ab amore quis excluditur, aut quis le„gitime

* In *Hiſtor. general.*

** *Homil.* 6. *ex* 50. *nunc Serm.* 271. *in appendice.*

„gitime excuſatur? Sapientibus, & inſipientibus, „divitibus, ac pauperibus, pueris, & ſenibus, omni ſtatui, omni ſexui, omni ætati communis eſt „amor, nullus ſenex ad amorem, nemo pauper ad „amandum. Quis enim amare neſcit, aut nequit? „ubique & omni tempore amor omnibus præſto „eſt, ſive comedas, ſive bibas, ſive ambules, ſive „ſedeas, ſive labores, ſive quieſcas, quomodocun„que te habeas, & quocunque te vertas, ſi libet, „amare potes: neque te quidquam ab amore valet „impedire; adeo enim amor tuus eſt, ut ſubripi „non poſſit invito. Teſtes tibi ſunt Martyres, „& illorum exempla, quibus vita ſubripi potuit, „amor autem nunquam. Libentiſſime enim vitam „dederunt, ne darent amorem; quis amor vita pre„tioſior eſt.„ Ita vir ſanctus *Serm. I. ad Dominic. 17. poſt Pentec.*

Item Bourdaluæus *Conc. ad Feſtum SS. Trinit.* „Ah Chriſtiani! (exclamat,) quam pulcra ſunt „verba illa, olim a Sancto quodam Antiſtite prolata, „cum de primis Martyribus ſermonem haberet! „*ſciebant mori*, dicebat Pacianus Barcinonenſis, & „*non ſciebant diſputare.* Quod vero nos attinet, „e diametro oppoſitum dici poteſt. Scimus de re„bus fidei diſputare, ſed fidei cauſa nec mori, nec „vivere ſcimus. Nunquam tantum de fidei, & re„ligionis myſteriis argutatum eſt, pugnatum, diſpu„tatum; imo nunquam tam libere de iisdem pro„nuntiatum, atque modo: & nunquam tamen tam „parum fidei, ac religionis fuit. Qua de cauſa? „quod nihil potentius eſt ad religionem, ac fidem „demoliendam, quam vana illa jactantia, honorque „imaginarius quem in eo ponimus, ſi loqui de his, „& ſententiam dicere ſciamus. Illis, quorum Pa„cianus meminit, ſatis erat, duo ſcire: credere, & „mori; in hoc ſcientia eorum tota conſiſtebat: nos „vero ſcimus omnia præter iſta duo: quia ſolum, „quod

„placet, credere volumus, & ne minimam quidem „vim nobis inferre ad id, quod credimus, exercen„dum. Illi ſciebant fidei cauſa mori, nos vero cum „omni ſubtilitate noſtra nondum vel vivere ſecun„dum fidem didicimus. Chriſtianos enim nos vo„camus, & velut Ethnici vivimus, cumque in nobis „Ethniciſmum quemdam actionis, ac vitæ cum chri„ſtianiſmo confeſſionis, & fidei jungamus, mon„ſtrum ſcilicet edimus, Ethnicismo ipſo deterius; „quia cum hujus abnegationibus præterea illius ſa„crilegia in ſe complectitur. Hæc, cari auditores „conſideratio ea eſt, quam, ut in conſpectu dei in„ſtituatis, rogo, conſiderate &c.„ quæ in hanc rem alia præclare, ac pro ſolenni ſcilicet ſuo adjicit.

Exemplum declaratæ ſcripturæ.

80. Segaudus oſtendere volens, quod docet Apoſtolus, peccata luxuriæ in ipſiusmet Chriſti dedecus redundare, locum Auguſtini * in ſubſidium vocat, ubi, qua eſt perſpicacia & ſubtilitate, velut ad oculum, nec ſine pio motu ita rem declarat:

„Apoſtolum audivimus, cum legeretur, corripien„tem, & coercentem humanas libidines, & dicentem: „Neſcitis, quia corpora veſtra membra Chriſti ſunt? „tollens ergo membra Chriſti faciam membra mere„tricis? Abſit. Corpora ergo noſtra membra Chriſti „eſſe dicit; quoniam Chriſtus caput noſtrum eſt, eo „quod homo factus eſt propter nos. Caput de quo di„ctum eſt, ipſe Salvator corporis noſtri, corpus autem „ejus Eccleſia eſt. Si ergo dominus noſter Jeſus Chri„ſtus tantummodo animam humanam ſuſciperet, „membra ejus non eſſent, niſi animæ noſtræ: quia „vero & corpus ſuſcepit, per quod etiam caput eſt no„bis, qui ex anima & corpore conſtamus, profecto il„lius membra ſunt & corpora noſtra: ſi ergo unus„quisque cupiens fornicari, vileſcat ſibi, & in ſe ipſo „contemnat ſe ipſum, ſaltem non in ſe contemnat Chri„ſtum.

„ſtum. Non dicat, faciam; nihil ſum, omnis caro
„ro fœnum. Sed corpus tuum membrum eſt Chri-
„ſti. Quo ibas? redi. Quo te tantum præcipi-
„tare cupiebas? parce in te Chriſto, agnoſce in te
„Chriſtum: tollens ergo membra Chriſti faciam
„membra meretricis. Meretrix eſt enim, quæ tibi
„ad adulterium conſentit. Et forte ipſa chriſtiana
„tollit membra Chriſti, & facit membra adulteri.
„Invicem in vobis contemnitis Chriſtum, nec agno-
„ſcitis Dominum veſtrum, nec cogitatis pretium
„veſtrum. Qualis autem ille Dominus, qui ſervos
„ſuos fecit fratres ſuos? ſed parum erat fratres
„ſuos, niſi faceret membra ſua. Itane tanta digni-
„tas viluit? quia tam benigne præſtita eſt, non
„honor ei retribuitur? ſi non præſtaretur, deſidera-
„retur; quia præſtita eſt, contemnitur!„

(**Serm. nunc* 161. *alias* 18. *de verbis Apoſtoli, initio.*)

Hic locus Auguſtini ejusmodi eſt, cui videatur, addi nihil poſſe, & qui tantum non deſperare faciat meliorem. Verum ecce quomodo præſtans ille Orator alia adhuc ratione eundem exornet *Part. II. conc.* 2.

„Si verbum divinum, ait divinus Auguſtinus, (rogo vos, ſenſum hujus doctoris, quæ ad convincendum & movendum valet, probe intelligite) „ſi „verbum divinum ſolum animæ, quæ noſtræ ſimi-„lis eſſet, perſonam ſuam conjunxiſſet: proprie „non niſi animæ noſtræ fœdus illud divinum iniiſ-„ſent, & ex vi perſonalis hujus unionis veluti par-„tes filii dei factæ eſſent. Unde corpora noſtra „ignominia afficientes ſemper nos ipſos, non vero „Jeſum Chriſtum ignominia affeciſſemus, & homo „ad Deum hunc puritatis, ut juratum hoſtem, ac „vindicem vel minimarum libidinum dicere potuiſ-„ſet; quid eſt corpus meum, o domine, quod ejus „honorem ita curas? etſi ſit opus tuum, tamen „præter pauxillum terræ, & cineris nihil eſt. Atque „per cauſam hujus ſequioris partis meæ honor mihi

„ille non obtigit, ut ſim ſimilis tibi. Homo di-„cere poſſet: nihil ſum; nunc vero, cum Verbum „Dei caro ſit factum, nunc cum corpora no-„ſtra æque, ac animæ noſtræ ſimilitudinem Dei, „hominem induti referant, nunc cum, ſicut ani-„mæ noſtræ, in altum ſublata, nobilitata, aſſum-„pta, deſtinataque ſint, ut aliquando de immortali „gloria hominis Dei participent, nunc cum ſalu-„tari lavacro baptismatis purgata, cum in ſacra „menſa propriis verbi incarnati carnibus paſta, & „in confirmatione ſacro chrismate, quod, ut Augu-„ſtinus ait, nomen a Chriſto habet, ſanctificata ſint: „ah Chriſtiani, quale diſcrimen! quæ mutatio! „quantum faſtigium! Profecto caro noſtra, quæ „nos omnium longiſſime a Deo removebat, pro-„xime ad illum adducit, multoque cum illo con-„jungit magis. Corpora noſtra vere ad Chriſtum „ſpectant, & membra noſtra reapſe membra illius „effecta ſunt. Ex hoc itaque principio grandis „hic Apoſtolus ſequentem, quæ per ſe inde fluit, „concluſionem deducit: num ergo membra Jeſu „Chriſti ad luxuriam exhibebo? num ergo mem-„bris his utar ad membra meretricia efficienda? „*Tollens ergo membra Chriſti faciam membra mere-„tricis!* * Quam inſolens propoſitio. Fateor, valde „durus eſt hic declarandi modus. Habet neſcio „quid, quod inexpectatum accidit, quod percel-„lit, quod irritat. Si alius quispiam præter Pau-„lum, ſi concionator, ſi doctor ſcholaſticus: ſivel „Patrum aliquis eo uſus eſſet, dubito ſane, an non „reprobandus fuiſſet. Nimis exaggeratum, teme-„merarium, fors & blasphemum venditaſſent; hoc „maledicti ejus peccati infelix fatum eſt. Iis ipſis „temporibus, quibus maxime graſſatur, non niſi „cautiſſime id licuit oppugnare. Quo perditi ma-„gis

* 1 *Cor.* 6. *v.* 15.

„gis mores, eo majorem ſibi vim facere morum „magiſtri debent, eſtque inter hodiernæ corru-„ptionis triſtiſſimos effectus reponenda temeritas „neſcio quæ, qua fit, ut ſacræ ejusmodi doctrinæ „ſcandalo ſint, quæ primis chriſtianis ædificationi „fuere. Sed quidquid jam de hoc ſit, nonniſi divi „Pauli verba hic uſurpo. Væ illi, qui ſcandalum „inde ſumit; quia illi a ſancto Spiritu dictata ſunt, „cujus hic apoſtolus inſtrumentum duntaxat, at-„que interpretem agebat. Non verbum, ſed res „verbo ſignificata irritare, inexpectata venire, ac „percellere deberet. Peccare contra puritatem, „quacunque ratione id fiat, idem eſt, ac Jeſu Chriſto „ipſi contumeliam inferre, idem eſt, ac temerare „corpus ejus, idem eſt, ac membris ejus turpiter „abuti, idem eſt, ac ex puris ejus, ſacrisque artu-„bus corruptos, inquinatos artus efficere. *Tollens* „*ergo membra*! Quas non pœnas, temeritas tam „ſtupenda, tam terribilis impietas, tam abominan-„dum maleficium promereretur! *Tollens ergo mem-„bra Chriſti faciam membra meretricis! abſit.*„

„Neſcio fratres mei, an veritate hac ita, ut res „poſtulat, commoti ſitis. Si minus, nunquid ab „extincta fide veſtra venit? nonne effectus eſt cæ-„citatis ejus, quam peccatum iſtuc inducit? nun-„quid initium obſtinationis, atque inſenſibilitatis „eſt, quæ conſequi ex illo ſolet?„

Dein interjectis aliis, ad eadem redit hunc in modum:

„Hoc eſt principium, quod Chriſtianus nun-„quam dimittere ex animo debet, ut frequentibus „Diaboli ſuggeſtionibus, carnisque contra ſpiritum „inſurgentis perpetuo illicio reſiſtere poſſit. Pote-„ſtis quæſo, o Chriſtiani inter blanda illa delini-„menta, & naturæ illecebras, in decretorio illo mo-„mento non meminiſſe, cujus ſitis, & quid egerit in „vobis Jeſus Chriſtus, cum caput veſtrum factum

„eſt, & vos membra ſua fecit! ſi filius Dei adorandæ „ſuæ perſonæ nos non junxiſſet, affectaretis divi„nam illam conjunctionem, rectius dicam, non au„deretis illam affectare. Nunc vero cum gratia „inæſtimabili vota veſtra prævenit, & merita veſtra „longe ſupergreditur, minus eam æſtimabitis? ah ſi „nullam intus veſtri æſtimationem fovetis, ſaltem „conjunctum vobis Servatorem in vobis revereamini! „Superi! quid inter voluptuarias veſtras imagines „deſignatis? quam Deo veſtro contumeliam illatum „itis? quo probro, atque dedecore coram angelis, „qui propter illud ipſum fœdus veſtrum æmulatione „tanguntur, obruere eum ſtatuiſtis? ah redite ad vos! „ad rationem, ad religionem, ad fidem revertimini „agnoſcite in vobis, & honorate Jeſum Chriſtum, ſi „tantus veſtri contemptus eſt: & cogitate, Deum „hunc, qui ipſa puritas eſt, hac ſola de cauſa naturæ „humanæ ſe conjunxiſſe, ut cum humanitate & puri„tas vobis conjungeretur.„

Exemplum figuræ probe & loco ſuo adhibitæ.

87. S. Ambroſius hæreticos ventri deditos, qui jejunia nihil prodeſſe aſſerebant, ita ſalſiſſime irriſerat:

„O ſtultum Eliſæum, qui ſylveſtribus grumis, „& amaris paſcebat prophetas! immemorem ſcri„pturarum Esdram, qui memoria ſcripturas reddi„dit! inſipientem Paulum, qui gloriatur in jeju„niis, ſi nihil proſunt jejuniaa! * „

Ironiam hanc quam feſtivam, tam acrem Segnerius noſter præclare eſt imitatus **, cum de iis, qui pœnitentiam ad usque mortem differunt, ſermonem haberet. „Si ita eſt, inquit, miſeret me „ſane plurimum Ottonis illius III. Imperatoris, qui „ut

* *Epiſt.* 63. *ad Vercellenſes, alias* 25. *vel* 82.
** *Conc. XI. Quadrageſim.*

„ut ab injuſta cæde, quam privatus admiſerat, ab-„ſolveretur, hanc a S. Romualdo injunctam, aſper-„rimam in ſe pœnam ſuſcepit, ut ad Garganum „montem peregrinatum iret, ac nudis pedibus, in-„dutus cilicio, & auſterum jejunium obſervans, „humique cubans, integros quadraginta dies ibi-„dem exigeret. Simpliculum illum! non pote-„rat ſatis vobiscum habere, ſi ultimos vitæ hali-„tus expectaret, & tum ſolo nutu obtineret, quod „tantis itineribus, cruciatibus, & ærumnis illi ſte-„tit? De Potamio magno Bracarenſium Antiſtite „quid dicam? hic intemperantius aliquando in ve-„nerem prolapſus, in celeberrimo concilio To-„leti inſtituto, id ſummo ſuo cum rubore palam „facere in animum induxit. Nonne ſtolidus fuit, „qui eas ſibi anguſtias ultro accerſuit! Quid di-„cam de Fabiola Principe inter romanos fœmina, „quæ quod notiſſimam Eccleſiæ ſanctionem violaſ-„ſet, id conſilii cepit, ut ſummo ſuo dede-„core ad Lateranenſis Baſilicæ fores coram fre-„quente populo publice ſe accuſaret! Nunquid „fatua illa, quod tantam ſibimet moleſtiam affe-„rebat? Sed quia jam tempus non eſt, ut bellam „hanc doctrinam iis tradatis, qui in orbem alte-„rum jam commigrarunt, eccur non properatis ad „eam, ſaltem miſeris illis peregrinis aperiendam, „qui ad hunc diem a locis trans Alpes ſitis non Lau-„retum duntaxat, ſed & Romam usque veniunt, „apud ſupremum pœnitentiæ tribunal reſervata-„rum illi noxarum condonationem impetraturi? „ſubjiciunt ſe infelices maximis incommodis, fre-„quentibus periculis, & gravibus impenſis. Ite „igitur, ſiſtite eos in medio itinere, dicite illis, ſu-„perfluas eſſé has curas, quæ ea ignoratione gran-„dis arcani, vobis ſolis cogniti, enatæ forent. Et „ego, dicite, & ego æque peccatis, & ego ſacri-„legiis, & ego cenſuris oneratus ſum, nec tamen

„affligo me idcirco; quod probe ſciam, me niſi ob-„tenta prius abſolutione non moriturum. Nonne „audetis ante obitum ſimpliciſſimi cujusque Pres-„byteri manum ſemel ſtringere, capite annuere, „pectus tundere? iſtuc vero ſufficit ad ſalutem. Re-„dite, indulgete genio, nec horribilibus pœnis, „quæ a Judicibus, ut ipſi quidem dicunt, zeloſis, „ut alii omnes ſentiunt, imprudentibus impendent, „vos ſubjicite. Quid vero! non putatis auditores, „quod ita loquentibus vobis ad hos peregrinos, ve-„ſtigia retrorſum flecterent, & grates pro tam uti-„li, quam incognito ſibi documento maximas re-„ferrent? O infirmitatem animi! o cæcitatem! „o furorem! usque adeo verum eſt: quod ex theo-„logiæ dogmatis, vobis alias vel ignotis fere, vel „neglectis illas ſolas apprehendatis, quæ ubi perpe-„ram intellecta ſunt, in perniciem præcipites vos „dare extremum poſſint.„

Non minus facete figura eadem eſt uſus Caſparus Rieger* cujus viri utinam MSS. omnia, eaque limata haberemus, nihil deeſſet ad Patrum eloquentiam exprimendam. Tanta ex iis vis ingenii, tam popularis ſuada, tam nervoſa libertas elucet. Huic cum ſcriptum aliquando eſſet, conventus nocturnos, contra quos ubique locorum acerrime ille invehebatur, nunc legibus quibusdam ſaluberrimis coërcitos, quibus blaſphemiæ, imprecationes, clamores, lites, ſcandala omnia prohiberentur: ad pudorem illis Adami nepotibus ac neptibus, qui inter vina, choreas, tenebras, ſtudiaque placendi perpetua ſecuros ſe per eas leges putabant, ita præter cetera reſcripſit:

„Porro, quod ſaluberrimum veſtris in conven-„ticulis, omnia jubentur fieri honeſte, hoc eſt, juxta „Doctorem gentium ſobrie, juſte, pie; quod ſane ingens

* *Epiſtola Mſcpt. ad Neoburgenſem quendam Conſiliarium.*

„ingens miraculum, nec credi poſſet, niſi eodem in „Decalogo * veſtra ad conventicula admitterentur omnes quidem larvati, ſed ſoli honeſti. Itaque veſtris in conventiculis aſylum aperitur pudori, honeſtati, charitati. Gratulor tibi, o honeſtas! „Hactenus vix eras ſecura in templis, nunc ſecura „in nocturnis conventiculis. Quod autem maximam pietatem ſpirat, veſtris conventiculis initium „datur hora noctis ſeptima, in memoriam ſcilicet „dominicæ paſſionis; quia & Chriſtus hac hora „egreſſus eſt in hortum Gethſemani, ubi eum circumdederunt tauri pingues, vituli multi, hoc eſt „ſervi cum laternis, & facibus. His in conventiculis vigilabuntur noctes totæ; nam veſtra in præſentia non alunt virgines fatuas, quæ media nocte „dormitaverunt omnes, ſed quas vidit heſperus intrantes domum conventiculi, mirabitur phoſphorus exeuntes. Cœleſtis plane hæc vita! nam & ſydera in cœlo tota nocte vigilant, & ſaltant, ac „primum mane diſparent. Quæ cum ita ſint, non „tantum non damno veſtra recens indicta conventicula, ſed palam dico, nihil illis ſanctius, nihil miraculoſius. Domus, aut locus conventiculorum „ſanctior eſt cœlo, & paradyſo, ubi peccarunt „angeli, peccarunt protoparentes: at in domo conventiculorum nec occaſio, nec illecebræ peccandi. „Conventicula veſtra feliciora ſunt ipſo cætu apoſtolorum; nam in hunc adlectus Judas burſarius: in veſtra vero conventicula *nullus admittitur* „*niſi honeſtus;* veſtræ vigiliæ in nocturnis conventicutis tutiores ſunt, quam vigiliæ ſanctorum in „primitiva Eccleſia; nam hæ fuerunt ſublatæ propter periculum, quod noctu in templa ad orandum convenirent ſimul viri, & fœminæ: at in ve-

* **Decem erant enim conventiculis leges ſtatutæ.**

„ſtris cætibus nocturnis eſt occaſio omnis ſublata; „licet viri, ac fæminæ conveniant ad peccandum. „Veſtra conventicula ſunt innocentiora, quam in „paraſceve nocturnæ pœnitentium proceſſiones, „quæ merito paſſim abrogatæ propter periculum „noctis. At in veſtris orgiis, in tanto ſplendore „honeſtiſſimorum hominum nec umbra periculi. „Scilicet nox nocti indicat ſcientiam, & hæc eſt „hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Domus con„venticulorum fornax eſt Babylonica, ubi juve„nes mediis in flammis non ardent; ſcilicet chari„tas operit multitudinem peccatorum. Infelices „Hieronymi! Macarii! quia caſtitatem ſervaturi ere„mum petiiſtis. En domus conventiculorum! hæc „eſt refugium innocentiæ.„

Ita, vir ille, quem non nemo ludere verbis ſolitus in conſuetudine familiari ſanctum *Hilarium*, pro concione ſanctum *Severum* dixit. Mire enim feſtivus, & terrena omnia flocci pendens, pleraſque Provinciæ cathedras ingenti animorum motu perſonuit, atque concuſſit.

Addi poteſt Proſopopæia ab Auguſtino mutuata, meo judicio præſtans, & quam maxime convincens, quam ſupra libro noſtro primo Diſſertat. II. ex Melchiore Cano dedimus. Ut enim Auguſtinus *Libro II. contra Julianum cap.* 4. & 10. veluti coram Sanctorum Concilio reum illum hominem ſiſtebat: ita & Canus inſigni imitatione cum Cajetano agit; quam diſſimulanter, quam facunde, quam fortiter, nemo non videbit, ut primum & illius & hujus locos comparare inter ſe cæperit.

Exemplum Affectus.

82. Nota ſunt Auguſtini verba ad vindictæ cupidum; quando in Chriſti morientis effigiem digitum intendens: *vide morientem,* clamat, *audi orantem*

tem! ex iſto non tam affectu, quam tenuiſſimo ſemine affectus Auctor *Sermonis Secundi Partis I. novarum Concionum* hunc ſane tenerrimum ſimul, atque vehementiſſimum locum elicit:

„Accedite, vos iracundi mortales, nihil præter „calidam bilem in corde coquentes, accedite, ad „pedes crucis, exponite querelas veſtras. Qua de „re gravamini? inimicum aliquem habere vos „dicitis. Contra Jeſum Chriſtum inſurrexerat uni„verſus orbis. Quam vobis injuriam fecit hoſtis „veſter? nomen veſtrum offuſcavit, maculavit glo„riam, res, & fortunas veſtras omnes ad nihilum „redegit. Agnoſco dolorem, magnus eſt enim„vero, & animum mihi pertentat, at oculum in „Jeſum Chriſtum cruci affixum conjicite! *vide pen„dentem!* audite horrendam Synagogæ vociferatio„nem, tumultum Phariſæorum, maledicta militum „in magiſtrum veſtrum conjecta. Exuti eſtis om„nibus, neque alia vobis hæreditas præter inopiam, „& paupertatem ſupereſt. Superior evaſit injuſti„tia, jacetis penitus. Scio, novi imbecillitatem „veſtram, ſortem doleo. At Jeſum reſpicite: *Vide „pendentem!* aufferuntur illi veſtes, ſorte dividun„tur, nihil ei, niſi nuditas relinquitur. Corona „ejus ſpinæ, ſceptrum arundo eſt. O quæ Regis „inſignia! ſtruuntur capiti veſtro inſidiæ, acui„tur ferrum, parantur venena, vita in diſcrimen „vocatur. Video omnia, & cohorreſco ad illa. „Verum reſpicite Jeſum cruci affixum. *Vide „pendentem!* ah plagis coopertus, clavis confoſ„ſus, innatat ſanguini ſuo. Quale ſpectaculum! „adhuc tamen vitæ reliquias colligit, & ad quid? „o cœlum! o terra! o Chriſtiani! audite, & atten„dite *Audi orantem!* Pater mi, impleta ſunt, „quæ juſſiſti, conſummatum Sacrificium eſt, juſti„tiæ tuæ factum ſatis. Morior. Annue roganti, „& morienti filio. O Pater mi! ad delendos infe-

R 5 „lices

„lices, qui te offenderant, cataractas cœli aperuiſti, „ut unacum ſceleribus ſuis haurirentur. Eos, qui „Prophetis tuis illuſerant, morte percuſſiſti. Nunc „ego ipſe patior, contritus, dilaniatus ſum. Antea„quam moriar. audi me. Vide carnifices, & perſecu„tores meos. Verum ignoſce illis. *Pater dimitte illis.* „Inimicis meis gratiam præſta, ama eos, ut ego amo, „filios adſciſce, ut ego fratres adſciſco. *Dimitte!* obli„viſcere injuriarum, quas inferunt mihi. Olim ſan„guis Abel vindictam clamavit, meus miſericordiam „clamat. *Dimitte.* Contine vindicem dexteram, „irarum flammas extingue, crucem quam inſtru„mentum ſupplicii mei fecerunt, carnificibus te„gumentum facito, vulnera mea eorum refugium, „& ſanguis meus eorum purgatio ſit. Morior: „clamo ad te. Extremæ voces miſericordiam in„vocant. *Dimitte!* O exemplum, quod intima „cordis penetret! ah vindictæ cupidi! quod Jeſus „moriens clamat, hodie jam non ad Patrem, ſed „ad vos pertinet. *Dimitte.* Ignoſcite inimicis „veſtris, uti ego crucifixoribus meis ignoſco. Sce„lus illorum clamat vindictam, verum Redemptor „veſter veniam pro illis deprecatur. Injuſtitia il„lorum accendit iracundiam veſtram! ſed ſopiat „eam ſanguis meus. *Dimitte.* Enixis precibus „iratum numen cedit: & vos homunculi illi re„ſiſtetis? ah fratres mei! dedite vos quæſo ad „tantum pondus rationum: ruite in brachia ho„ſtis veſtri, ſeu ut rectius dicam, quia hoſtis eſſe „jam non debet, ruite, & projicite vos in brachia „amici veſtri, repertum fratrem cogitate, frui„mini dulcedine charitatis chriſtianæ, & heroi„cæ veniæ intima ſuavitate. O ut vox mea in„ſtar clangentis buccinæ inſonet, fortium bella„torum animos incendat, vosque ad dimicationem, „& victoriam evocet! non niſi unum ex omnibus „vobis populum condite, qui divini amoris in-

„ſolu-

„ſolubili nexu jungatur ſibi, & populus fratrum „appelletur.„

Schemati huic ſatis longo aliud breviuſculum ex meo liceat adjicere. Sic enim exclamationem illam Auguſtini: *Domine! noverim te, noverim me** plenam pientiſſimi affectus, diduxi aliquando, atque aptavi ad ſciolorum noſtrorum curioſitatem reprimendam:

„Domine! qui habes omnium ſcientiam, qui „te, & me perfectiſſime noſti! da obſecro, quod „ante omnia neceſſarium mihi intelligo: *Noverim* „*te, noverim me.* Te quidem, ut te aliquando ſe„rio amare: me vero, ut tandem ſerio odiſſe me „incipiam, Noverim extremas miſerias, ſupremam „ingratitudinem, graviſſima peccata, & fœdiſſimas „cupiditates meas. Hanc ego a te ſapientiam, hanc „unam ſcientiam deſidero. Habeant ſibi alii lite„ras ſuas & quamcunque doctrinam, proficiant, „excellant præ omnibus, nemini hucusque cogni„ta, & novas ſemper, novasque veritates in lucem „protrahant. Placeant ſibi mirum quantum, glo„rientur, intumeſcant, applaudant illis omnes, or„bis univerſus eos miretur. Mihi tui, meique co„gnitio plus quam ſatis eſt. Ad hanc cognitio„nem abdico omnem aliam; dele eam hoc mo„mento ex animo meo, unaque omnem, quæ inde „orta eſt, vanitatem. Dele, dele, ut illi locum fa„cias! etſi enim deinceps ceterorum ſciam omnino „nihil, credam tamen, & firmiſſime perſuaſus ero „me omnia ſcire. *Domine noverim te, noverim me!* „Quid enim, ſeu te, ſeu me neſciam, proderit, „cetera omnia ſcire? quid ſi & te, & me ſciam, „oberit,

* Advocato ſimul ejus altero loco, pariter breviſſimo *Libro V. confeſſionum cap.* 4. ubi rationem addit: *Infelix homo, qui ſcit illa omnia, te autem neſcit: beatus autem, qui te ſcit, etiamſi illa neſciat!*

„oberit, cetera omnia ignorare? illud fortaſſe hic „glorioſum, ibi vero infelicem redderet: iſtuc hic „abjectum quidem, contentum tamen, ibi vero „æternum felicem, & glorioſum efficit. Amen.„

Exemplum ſtructuræ & diſpoſitionis argumentorum.

83. In alia Concione, ubi oſtendere conſtitueram, generalem illum, graviſſimumque mortalium errorem, quo divites felices ducunt, locum Juliani Pomœrii elegi, qui *Libro II. de vita contemplativ. c.* 13. Sic pronuntiat de Divitiis: *Quas qui habere volunt, ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inveniunt, ſine cura non ſervant, ſine noxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt.* Atque hoc ſane unum præſtiti, ut ſervato ordine ejus, enarratione facili, & obvia amplificarem, quæ fieri identidem apud noſtros divites conſueverunt. Verba ipſa longiſſimum eſſet referre. Idem quilibet tentare poteſt in veritate Religionis noſtræ aſtruenda, ſi locum Auguſtini aſſumat, de Chriſto authore fidei * ita loquentis: *Miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide enutrivit multitudinem, multitudine obtinuit vetuſtatem, vetuſtate roboravit religionem.*

Quam denſa quam fortia, quam diſpoſita habes argumenta, ex *Homilia* Chryſoſtomi 80, *nunc* 79. *in Matthæum*, ſi forte duritiam erga pauperes inexcuſabilem velis oſtendere. Nam quaſi in medio mendicum ſtatuens: *Neque enim lautam,* inquit, *requirit menſam; ſed neceſſarium ſolum cibum, idque modo ad miſericordiam movente. Itaque omnia illorum ſupplicium expetunt, rei poſtulatæ facilitas; nam panis tantum erat: miſerabilis petentis conditio; mendicus enim*

* *Libro de utilitate credendi, cap.* 14.

enim erat: commiſeratio naturæ; nam homo eſt, qui petit: promiſſionis magnitudo; nam regnum pollicetur: ſupplicii terror; gehennam enim comminatur: dignitas accipientis; Deus enim erat, qui per mendicos accipiebat: honoris cumulus, quod tantum deſcendere dignatus ſit: juſtitia erogationis; nam ex bonis ſuis accipit. Verum ad hæc omnia amor pecuniæ illos excæcavit.

P. Bourdaloue locum S. Leonis * *Mirabilis deus in ſanctis ſuis, in quibus nobis & præſidium conſtituit, & exemplum,* aſſumit pro *Diviſione* præclari ſermonis feſto Sanctorum Omnium: ubi primo oſtendit, quid Sancti in cœlo pro ſanctitate noſtra agant, & quid nobis ipſis pro ſanctitate noſtra in terris agendum ſit. Quo ſane argumentum illud, quantum ad Feſtum attinet, penitus exhauſit.

Illuſtriſſimus Laſitau *Concione de Oratione* ** oſtendit, Deum impoſuiſſe ſibi, neceſſitatem, uti orationi omnia concederet, nos vero eo ipſum neceſſitatis adigere, uti eidem omnia neget. Secundam partem ſententia illa Auguſtini ſubdividit: *Mala petimus, male petimus*, oſtenditque, quod vel non quæ oportet, vel non quomodo oportet, petamus.

Rurſum Burdaluæus ſententiam aliam Auguſtini pro fundamento concionis ita ponit, ut diviſionem ſimul totius, & ſingularum partium inde efficiat. Cum enim S. Doctor *bona* conjugii his tribus *prole, fide, Sacramento* comprehendat, orator noſter *** quæ his tribus bonis reſpondeant *obligationes*, quæ his tribus bonis reſpondeant *difficultates*, quæ his tribus bonis reſpondeant *pericula* verſatili & præclara partitione expedivit.

Habes

* *Sermone in Natali S. Laurentii.*
** Eſt *ſecunda Tom. III.*
*** *Conc. II. Partis I. Dominical.*

Habes jam exemplum *Diviſionis*, *Subdiviſionis*, & denique *Diviſionis* & *Subdiviſionis* ſimul, quæ quoniam alii a Patribus petierunt, jam & ex meo aliqua ſunt expromenda. Ad pretium tempori ponendum, ut auditores adducerem, locum Bernardi * allegavi: *Nihil pretioſius tempore, ſed heu! nihil hodie vilius æſtimatur.* Continet enim diviſionem valde genuinam, eſtque aptiſſimus ad rem eam primo *oſtendendam*, ſecundo iis, qui aderunt, utiliter & ſingillatim *applicandam.*

Alias de Fiducia in Providentiam divinam agenti, hanc æque facilem, & commodam diviſionem Auguſtinus ſuppeditavit: *Dominus habet curam tui . . . nusquam tibi deeſt, tu illi noli deeſſe* ** Itaque *dixi, dari utique providentiam pro nobis: nos vero ita agere, quaſi nulla daretur.* Iterum cum Evangelium de Chriſto perdito, & invento explicarem, meosque ad gratiam, aut quod idem eſt, ipſum Chriſtum ſervandum hortari vellem: iſta duo oſtendenda elegi. Primo ei, qui alias omnia haberet, haud prodeſſe, ſi Chriſtum non habeat. Secundo ei, qui alias nihil haberet, haud obeſſe, modo Chriſtum habeat. Atque ad id locum Auguſtini *Sermone* 205. *de Tempore, nunc* 85. ſane ſapientiſſimum aſſumpſi: *Quid habet dives, ſi Deum non habet? quid non habet pauper, ſi Deum habet?* De Angelo quoque tutelari dicturus officia noſtra ad reverentiam, devotionem, atque fiduciam reſtrinxi. Id ut facerem Bernardus ſuggeſſit, qui in verba illa: *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, ita eleganter commentatur: *Quantum tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam?*

* *In* ecce nos reliquimus *cap.* 16.
** *In Pſalm.* 39.

ciam? Reverentiam pro præſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia *.

Atque iſte modus proficiendi ex Patribus communiſſimus eſt, ut adeo ſexcenta in eo genere apud auctores paſſim occurrant. Maxime vero P. Bourdaloue Diviſiones has amat, etiam obliquas ſolum, ſeu quæ occaſionem tantum ex textu aliquo Patris habuerunt. Nec minus iis delectatur P. Bretonneau, Bourdaluæum ut alias, ita hic quoque velut magiſtrum ſuum affectatus.

84. Porro Schemata longiora, quæ pro Partibus concionum faciunt, non eſt opus huc transſcribere, ne ultra metas ſcilicet procurramus. Qui Delingendeſium, Lambertum, Jolium, Ruæum, Burdaluæum norunt, illi ſane intelligunt, ſermones eorum ſæpiſſime nil eſſe aliud, quam locos Patrum probe diductos, accommodatos dein conditioni Auditorum, atque ita inter ſe aptatos, ut aliquod totum efficiant. Et tales illi, qui vel paucos tantum Patres legerit, deeſſe nunquam poſſunt. Quid quod integræ conciones erui inde nullo negotio poſſunt! Sic ſermones, quos S. Baſilius, Gregorius Nazianzenus, & Nyſſenus *de Baptiſmo* dixerunt, pauciſſimis mutatis toti in eos faciunt, qui emendationem vel procraſtinare ſolent in dies, aut ad obitum usque differre. S. Paciani *Parœneſis ad Pœnitentiam* ejusmodi eſt, ut non ſolum argumenta fortiſſima, ſed diviſionem quoque, & affectus miniſtret: ſique moribus noſtris tantiſper accommodetur, die aliquo, placando numini dicato, atque in ipſis apoſtolicis expeditionibus motus magnos atque uberes pœnitentium lacrimas ciere poſſit. Nihil item facilius, quam ex *digreſſionibus* plerisque *moralibus*, quæ ad finem Homiliarum

* *Serm. XII. in pſalm.* 90.

liarum Chryſoſtomi ſive *in Matthæum*, ſive *in Paulinas epiſtolas* habentur, conciones, easque luculentas & ſalutares eruere. S. Gregorii Nazianzeni orationibus de *amore pauperum*, de *plaga grandinis*, de *pace* præter diviſionem quid deeſt, ut ſint conciones ſimiles noſtris, imo non ſimiles, ſed multo etiam ſuperiores? nihil autem fuerit facilius diviſione ea. Sepone enim primo argumenta, quæ a ratione naturali, dein cetera, quæ ex lumine fidei petuntur, & eadem opera ipſam cum argumentis orationem diviſiſti. S. Baſilius magnus inſignem homiliam in *Ebrietatem, & Luxum* habet, atque iſtam ubique contra choreas, & compotationes expromere licet; modo quæ ſparſim ille, ut res ferebat, dixit, primum ad *damna naturalia*, dein ad *damna ſupernaturalia* revocentur. Idem fere ſentiendum de homiliis ejus in *Divites & Avaros*: ſi, quod fieri commodiſſime poteſt, partiri eas quis velit, & alium in ordinem redigere; ut ſi dicas divitias non ſolum non quærendas, ſed & ab eo, qui jam haberet, profundendas eſſe. Illam, quæ eſt in *Iraſcentes*, & alteram *de Invidia* ſatis commode ipſe auctor diviſit. Itaque nihil prohibet, diviſionem ab eo factam retinere, uti ego illam ipſam de invidia ita aliquando diggeſſi, ut primo loco vitii ejus *turpitudinem*, *ſecundo effectus*, tertio *remedia* explicarem.

Minore etiam negotio ex homilia Chryſoſtomi, quæ de *Simultate & Ira* inſcripta eſt, ſermonem formavi, quo plane evincerem: *vindictæ cupidum tantum nocere inimico nunquam poſſe, quantum ſibi ipſi noceret.* Neque aliud expertus ſum in *Sermone I.* S. Bernardi *de diverſis*, qui de fallacia bonorum mundi agit. Vix enim facta partitione ſeorſim ſumpſeram, quæ ad *vanitatem*, dein reliqua, quæ ad *damna* eorum bonorum pertinent, mox concio inde prodiit minime ſpernenda, neque diverſa ab iis, quæ hodieque inſtituuntur. Novi

Novi oratorem ſacrum, qui in hunc diem ex Patribus effingere ſe conciones plurimas profitetur. Facit autem iſtuc proſpero ſucceſſu, negotio vero non alio, quam quod moribus ſe tantisper, & tempori accommodet.

Multo autem facilius id fuerit, ſi de Patrum *Tractatibus* ſit ſermo. Ex quibus non una ſolum, ſed plures etiam Conciones, imo Libri educi levi brachio poterunt. Ita plurimi cum ex Aſceticis, tum ex ſacris oratoribus fecere, & nominatim Bartholomæus Fiſenus noſter ex Tractatu Chryſoſtomi : *Quod nemo læditur, niſi a ſe ipſo* integram, neque illaudatam ſcriptionem fabricavit. Ipſemet Tractatum Ambroſii ad *Virginem lapſam*, & Baſilii epiſtolam ejusdem argumenti extendi ad omnes eos, qui quacumque ex culpa ſive *Innocentia*, ſive *Gratia* excidiſſent. Tantum autem in utroque & nervorum, & ornatus inveni, ut plane de meo præter combinandi laborem addere nihil omnino oporteret. Sic etiam ex Tertulliani, Cypriani, & Auguſtini opuſculis de *Dominica Oratione*, atque iterum ex *Symbolo* Ruffini plures continenter ſermones habui, quæ ne literatis quidem audio diſplicuiſſe. Denique Liber *de Singularitate Clericorum* * item opuſcula duo Chryſoſtomi de *Subintroductis*, & epiſtola Hieronymi 47. *nunc* 117. abunde mihi ſuffecerunt, ut toto Bacchanalium tempore in *occaſiones proximas*, non Clericorum, de quibus ibi; ſed omnium promiſcuè inveherer, oſtenderemque tentationem, quæ inde exurgit, nimis fortem; eos autem, qui ibi verſantur nimis infirmos eſſe. Cui hæc placuerint, exemplum inde trahat, & ſimilia tentet; ſunt enim in promptu. Mihi ſufficit addidiſſe animos, aut certe confirmaſſe, & incitaſſe magis.

* Inter opera Cypriani.

Hactenus de Ratione imitandi, ad quam plura faciunt, quæ habent Cicero in *Oratore*, & *Libro II. de Oratore*: Quintilianus *Libro X. fere toto*: Plinius Junior *Libro VII. epiſt.* 9. *ad Fuſcum*: Angelus Politianus *Epiſtola ad Paulum Corteſium*: & hic in *reſponſione* ad illum: Cœlius Calcagninus *ad Joannem Baptiſtam Gyraldum ſuper Imitatione*. Joannes Franciſcus Picus Mirandulæ Comes *Epiſtola III. ad Petrum Bembum*, una cum *reſponſis Bembi*: Bartholomæus Riccius *de Imitatione*: Joannes Sturmius Libris III. *de imitatione oratoria*: Franciſcus Floridus *Lectionum ſubſecivarum Libro I. cap.* 2. Joachimus Camerarius in *Tuſculanam primam Ciceronis*: Cardinalis Auguſtinus Valerius *Libro III. de Rhetorica Eccleſiaſtica cap.* 42. Joannes Sambucus *dialogis tribus de Imitatione a Cicerone petenda*. Jacobus Omphalius *Libro de Elocutionis imitatione, ac apparatu*. Henricus Farneſius *Libello de imitatione Ciceronis*: Carolus Regius *Libro III. cap.* 15. *Oratoris chriſtiani*: Nicolaus Cauſſinus *Libro III. de Eloquentia Sacra, & humana a cap.* 9. Gerardus Joannes Voſſius de *Imitatione tum oratoria, tum vero imprimis poëtica &c.* Amadeus Bajocenſis in *Paulo Eccleſiaſte Partis I. Libro* 1. *cap.* 3. *art.* 5. Natalis Argonenſis *Parte IV. cap.* 16. *de optima Methodo legendi Eccleſiæ Patres*: Vincentius Houdry *Tomo I. Bibliothecæ ſuæ concionatoriæ Prolegomeno* 2. Jo. Gottl. Heineccius, & Commentator ejus Geſnerus in *Fundamentis ſtyli cultioris Parte III. cap.* 2. Ignatius Weitenauer *Libro XI. Subſidiorum Eloquentiæ initio*. Sed & alii, quotquot de Rhetorica paulo melius perſcripſerunt, fere omnes in hoc argumento, ut re graviſſima, haud levi brachio verſari ſolent. Atque illos quidem conſulant qui voluerint, & prætermiſſum hic aliquid, leviusque tractatum putarint.

CLAUSULA
LIBRI IX.

Atque hac ratione opinione citius etiam hic liber perfectus eſt a nobis. Urceus autem exiit, non amphora; quemadmodum ſcilicet jam initio conſtituebamus. Et certe Regulas, Leges, Specimina plura dare, atque adeo omnes minutias perſequi ut nobis operoſum, ſic longum Lectori, ne

ne dicam ſupervacuum fuerit. Qui enim judicio valent, ipſi per ſe novas identidem induſtrias adinvenient: qui autem ſunt paulo obeſiores: ne iſtas quidem ſcient adhibere in loco: atque ita (rotunde dicam) inepti omnino ſunt ad Patrum opera ſeu *legenda*, ſeu *adnotanda*, ſeu *allegenda*, ſeu *imitanda*.

Finis LIBRI IX. *de Eloquentia Patrum.*

INDEX
LIBRI IX.
Qui non *paginas*, ſed *numeros* a latere poſitos deſignat.

Allegatio vide *Citatio.*

Ammanuenſis

Ejus opera ad levandum laborem excerpendi. *Num.* 35.

Analyſis

Facienda eorum, quæ legendo abſolvimus. 32.
Non eſt difficilis *ibid.*
Exemplaria ejus faciendæ *ibid.*

Adnotatio

Ejus hoſtes 23.
Nihil evincunt. *ibid.*
Quam ſeduli in ea antiqui, profani æque ac ſacri. 23.
Ubi inutilis *ibid.*
Ejus fructus *ibid.* & 25.
Quinam ab ea eximendi 24.
Ex Patribus quam graviter facienda 26.
Regulæ ejus 27. 28. 29. 30. 31.
Facilior eſt, quam putetur 35. *& ſequentib.*
Induſtriæ, & praxes in ea adhibendæ 35.

Argonenſis

(Natalis) quam obiter tangat eloquentiam Patrum. 1.

Auctores

Qui agant de legendo 22
adnotando 37
allegando 58
imitando 85.

S. Auguſtinus

Imitatio quorumdam ejus locorum 79. 80. 81. 83.

Baco

(Franciſcus de Verulamio) Patronus Excerptorum 23.

S. Baſi-

S. Baſilius magnus

Jubet adoleſcentes bona colligere ex Scriptis Ethnicorum 26.
Homiliarum ejus uſus. 84.

S. Bernardus

Quomodo verba Scripturæ uſurpet? 48.
Imitatio *Sermonis ejus I. de diverſis.* 84.

Bleſenſis.

(Petrus) quæ ejus ratio citandi 48.

Bloſius

(Ludovicus) ejus Paracleſis 48.

Bona

(Cardinalis) quomodo utatur Patribus in *in Manuductione ad cœlum?* 48.

Boſſuet

Quæ ejus ratio in Patribus imitandis 63. 78.

Bourdaloüe

(Ludovicus) dexteritas ejus in patribus allegandis 39. & 40.
imitandis 63. & 79.

Canus

(Melchior) quam egregie imitatus Locum Auguſtini 81.

S. Carolus Borromæus

Æſtimator, Lector, Patronus Patrum 6.
Jubet eos legi a Clericis *ibid.*

S. Chryſoſtomus

Quam delicatus in citandis Ethnicis 54.
Ex S. Ephræm quædam mutuatur 66.
Uſus quorumdam ejus operum 84.

Citatio

Quam uſitata, & neceſſaria generatim 38.
Scripturæ 38.
Patrum 39.
Regulæ hujus poſterioris 40. 41. 42. 43. 46. 47. 48.
Latinorum poteſt fieri latine, non aliorum 49. 52.

Concilia

Allegant Patres. 39.

Concionatores

Imitantur Patres 63. 75. 84.

Coſmus Abbas

Vult S. Athanaſii verba, cum charta deeſt, veſtimentis inſcribi 26.

Cramerus

Infideliter verſatus in Chryſoſtomo vertendo 19.

Critici

Conſulendi de repertis Patrum Scriptis, quæ in ultimis editionibus nondum habentur 21.

S. Cyprianus

Lectio ejus quotidiana 6.
Quam perfecte Tertullianum imitetur? 77.

S. Dorotheus

Improba ejus diligentia in legendo. 7.

Driimelius

Ejus *Lexicon latino germanicum* ſæpe vices *Gloſſarii* aut *Hierolexici* poteſt ſubire 20.

Editiones Patrum

Quid in iis attendendum 19. & 20.
Ultimæ fere optimæ 19.
Præmittere ſolent omnia, quæ auctorem concernunt. 2.
Enumerantur ſingulatim, quæ ceteris præſtant. 19.

Eloquentia Sacra

Inſtauratio ejus debetur imitationi Patrum 63.

S. Epiphanius Ticinenſis

Ejus lectio abſolutiſſima 7.

Eraſmus

(Roterodamus) in edendis Patribus non omnem laudem promeritus 19.

Ethnici

Quam diligentes in legendo. 7.
excerpendo. 23.
Allegari tuto poſſunt in concione 53.
Et ſæpe ſunt ingens præſidium cauſæ, ſi prudenter id fiat. *ibid.* & 54.
Ipſi Patres & Concionatorum principes eos allegarunt. 53.
Si quid ex iis profecimus, occultandum eſt. 76.

Fiſenus

(Bartholomæus) commentarius ejus in opuſculum Chryſoſtomi: *Quod nemo læditur a ſe ipſo.* 84.

An

du Freſnius

Laudantur ejus *Gloſſaria* 20.

Galli

Compendia eorum in citando 43.

S. Gregorius Nazianzenus

Uſus quarumdam ejus orationum 84.

S. Hieronymus

Lectio ejus indefeſſa 7.
Uſus epiſtolæ *de vitando ſuſpecto contubernio* 84.

Homiliæ

An uſus earum revocandus? 66.

Huetius

(Petrus Daniel) in viridi licet ſenio memoriæ defectum maximum expertus 23.

Imitatio

Eſt naturalis, & neceſſaria 59.
Facilis una, & difficilis 60.
In Rhetorica maximus ejus uſus. *ibid.*
Plus juvat ceteris omnibus præſidiis 63.
Modi imitandi 65.
Regulæ 67. 68 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76.
Exempla 79. 80. 81. 82. 83. 84.

Indices

Non poſſunt fungi vice adverſariorum 36.

Lainius

(Jacobus) inter legendum enotabat 35.

Lectio

Ejus utilitas, præſertim noſtræ, quæ in Patribus verſatur 1.
Regulæ ejus. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.
Lectio tacita 11.
Ordo ejus, Generatim, & Speciatim pro omni genere argumenti *Moralis*, *Dogmatici*, *adverſum infideles*, *hæreticos*, *Schiſmaticos*, in uſum ipſius *Theologiæ Scholaſticæ* 13. 14. 15. 16. 17. 18.
Lectio ipſa jam eſt imitatio quædam 64.

Libri

Optimi debentur adnotationi 23.

Macri.

(Dominicus) ejus *Hierolexicon* utile 20.

Maſſillon

Auguſtinum alicubi exſcribit 66.

Narrationes

De rebus gentilium non ſunt excludendæ, imo juvant 57.
Sed neque illæ de rebus recentioribus *ibid.*

Nepotianus

Quam diligens Lector Patrum? 7. 9.

S. Nilus

Baſilii verba ſua facit 66.

S. Pacianus

Uſus *Parænefis* ejus 84.

Patres

Eorum verba ſunt idioma concionatoris 38.
Obſcuriores poſt ceteros legendi 12. 13.
Studium excerpendi apud eos 23.
Citant Collegas, ſeu priores, ſeu æquales 39.
Profanos ſimul & Sacros ſunt imitati. 62. 76.
Quædam aliorum in rem ſuam converterunt 66.
Eos expilare non tam furari eſt, quam hæreditatem adire 66.

Picus Mirandulanus

Citatus a Bourdaloüeo. 57.

Pugillares

Eorum uſus atque commoditas 35.

Queſnellus.

De Leone edito male meritus 19. & 20.
Quam multis eo opere impoſuerit? 20.

Rieger

Caſparus) imitator & orator ſtrenuus 81.

Rigaltius

Non optimus editor. 19.

Ruffinus

Uſus ſymboli ejus. 84.

Scrip-

Scriptura Sacra

Ejus phraſis eſt lingua propria oratoris ſacri 38.

Segaud

Præclare imitatur Auguſtinum. 80.

Segneri

Ironiam Ambroſii perficit, & dilatat egregie 81.

Seneca

Sapientia ejus circa leges legendi 5.
Stylus minime imitandus 67.

Signa librorum

Apud antiquos 36.

Societas Jeſu

Inſtitutum ejus Patres vult ad menſam legi 6.
Concionatores, & Confeſſarios ad eosdem enotandos adſtringit 26.
Vetat notas facere in ipſo libro 36.

Suppoſititia

Quomodo citanda? 50.

S. Thomas Aquinas

Quo ſenſu diceret, unius libri lectorem ſe timere 5.

S. Thomas Villanovanus

Imitatur Auguſtinum 79.

Truncationes locorum

Apud hæreticos & alios quam indigna 44.

Turchius

(Paulus) Ejus obſervatio probe notanda. 1.

Errata in Libris VIII. & IX.

Pagina :	Linea :			
14	5	*ſpernendas,*	*Lege :*	*ſpernendas ,*
43	23	*ſpeciules*		*ſpeciale*
69	34	erge		ergo
78	11	protuliſi		protuliſti
ibid.	16	tenterius		tenerius
ibid.	20	oræſtant.		præſtant.
100	28	ſolicirus,		ſolicitus,
102	37	minam		ruinam
122	8	legant, perpetuo		legant perpetuo,
129	30	ſolitudinem		ſolitudine
130	25	ipſo		ipſæ
131	37	ea		ex
137	23	præferentem.		præferentes.
145	32	hunc		hanc
146	28	Steſychius,		Heſychius,
155	2	ad		ac
156	26	*Theodoretus*		*Theodotus*
158	14 & 15	*productionem*		*introductionem*
159	24	Carriſius,		Caniſius,
160	21	Mameliana		Pameliana
166	31	habere nobis		habe. Nobis
167	25	nobiliſſimo		notiſſimo
169	8	inventa		inventa dat
ibid.	13	ASSENSIS		ASTENSIS
171	12	altera		alterum
172	6	opera totamque		opera tot, tamque
174	14	LANERANCUS.		LANFRANCUS.
ibid.	27	MARCENTIUS		MAXENTIUS
177	33 & 34	*Diſpoſitione*		*Diſpoſitionem*
184	5	firmant,		formant,
189	10	tenenda		texenda
191	33	ex re		ea re
198	30	ferrat		ferat
211	25	*reperis*		*reperio*

SUPPLE-

SUPPLEMENTUM
PRÆCEDENTIUM NOVEM LIBRORUM
DE
ELOQUENTIA PATRUM.

ADMONITIO.

Nihil adeo præter opinionem mihi potuit accidere, quam ut interpolata quædam, quædam etiam omiſſa in ſuperioribus ſcriptionibus meis reperirem. Nempe ſchedulæ aliquot deperditæ, additamenta alieno loco repoſita, allegationes non ubique cum M. S. collatas deprehendi. Eſt id fatum commune Scriptoribus, quoties illi a typo abſunt longius, & lucubrationes ſuas, ut expoſitos partus, alienæ fidei committere debent.

Illud autem ſingulare, quod non nemo, ne rogatus quidem, dictaturam arrogavit in quinque priores Libros, quæque dudum eruditiſſimi viri examinarant curioſe, ac magnopere probaverant, ad incudem denuo revocavit. Certe non pauca pro genio illius emendata me æque ac Editoribus inſciis typographæo ſunt commiſſa. Nolo hic in hominem invehi, nolo querelis, utut juſtiſſimis intemperantius indulgere. Mihi namque qui mundum noſſem, & ad mala ejus quadam aſſuetudine occallueram, etiam iſtuc ſervabatur, ut libris pæne involutus inter ipſas quoque literas nunquam non patientiam exercerem. Hoc porro etiam atque etiam illum rogo, ut Petri Blesensis *Invectiva in depravatorem operum ſuorum* ſtudioſe ac per otium lecta intra Canones & caſuiſticam theologiam contineat ſeſe, neque ullum deinceps iratis ſibi Muſis negotium faceſſat. Id ubi fecerit, non libenter duntaxat, verum etiam amanter temeritatis illi venia concedetur.

Neque

Neque tamen diffiteri velim, eſſe alia, eaque plurima quæ curatius quam ſit factum ſeu enucleare, ſeu proponere elegantius debuiſſem. Memor ſum illius, quod AUGUSTINUS *Epiſtola* 143, *alias* 7 *ad Marcellinum* de ſe ipſo admonuit. „ Ego, inquit, „ fateor me ex eorum numero eſſe qui proficiendo „ ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Unde ſi aliquid „ vel incautius vel indoctius a me poſitum eſt, quod „ non ſolum ab aliis, qui videre id poſſunt, merito „ reprehendatur, verum etiam a me ipſo (quia & „ ego ſaltem poſtea videre debeo ſi proficio) nec „ mirandum eſt nec dolendum; ſed potius ignoſcendum, atque gratulandum; non quia erratum „ eſt, ſed quia improbatum &c. „

Et infra:

„ Romani maximus Auctor Tullius eloquii, „ *Nullum unquam verbum*, inquit de quodam, *quod* „ *revocare vellet emiſit*. Quæ quidem laus, quamvis præclariſſima videatur, tamen credibilior eſt „ de nimium fatuo quam de ſapiente perfecto &c. „ Ab hac ergo excellentia tam longe abſum, ut ſi „ nullum verbum, quod revocare vellem protulero, fatuo ſim quam ſapienti ſimilior. Illius „ quippe ſcripta ſumma ſunt auctoritate digniſſima „ qui nullum verbum, non quod revocare vellet, „ ſed quod revocare deberet emiſit. Hoc quiſquis „ nondum eſt aſſecutus, ſecundas habeat partes „ modeſtiæ, quia primas non potuit habere ſapientiæ. „ Cogitanti autem mihi jam amplitudinem ac difficultatem materiæ, jam molem annuarum concionum: ad hæc valetudines non infrequentes, & librorum corrogandorum perpetuam quamdam moleſtiam, mirari profecto ſubit, me non ſæpius, vehementiuſque quam ſit factum in concinnando iſtiuſmodi opere impegiſſe. Accedunt domeſtica fata, & vexationes aliquorum tam infeſtæ ac pertina-

tinaces, ut necdum contenti noſtra morte vel poſt funus inſultent nobis. Diceres diſtracto corpore univerſo in lacera membra deſævire eos, jureque ac inſtituto barbarorum ad triſtis naufragii reliquias veluti prædatum accurrere. Hæc inquam ſingula turbare ſcribentem debebant, quem cum juvari poſtulet lex æquitatis, ſane inhumaniſſimum fuerit impedire. Verum miſſis excuſationibus ad rem ipſam veniamus. Nihil enim curat Lector, qua de cauſa ſit peccatum, modo quod peccatum eſt, ſive emendari a te videat, ſive retractari.

IN PRÆFATIONE GENERALI TOTIUS OPERIS.

Pagina 19. *linea* 20.

Scripſi ego: *quam novis tam triſtibus experimentis.* Corrector ſubſtituit, *quam novis tam triſtibus experientiis.*

LIBRO I.

Pagina 30. *poſt lineam* 15.

Omiſſus eſt: S. JACOBUS *Niſibenus Epiſcopus.*

Pagina 31. *linea* 18.

S. NILUS *Abbas*, poſt quæ verba omiſſum eſt: *ante Prætor Conſtantinopolitanus.*

Pagina 33. *poſt lineam* 16.

Omiſſus eſt: *Nicetas Paphlago Epiſcopus Dadybrorum.*

Pagina 34. *&* 35.

Reformandus nonnihil ordo & numerus Scriptorum allegatorum; ita quidem.

SÆCULO XII.

EUTHYMIUS ZIGABENUS *Monachus Baſilianus.*
JOANNES ZONARAS. *Monachus Baſilianus.*
MICHAEL GLYCAS, *doctus Siculus.*
ISAAC, *Primas Armeniæ Catholicus.*
THEORIANUS quidam, *vir doctus atque catholicus.*
THEODORUS BALSAMON, *Patriarcha Antiochenus.*
NICOLAUS METHONENSIS *Epiſcopus.*
PHILIPPUS dictus SOLITARIUS.
Hos deinceps alii quoque præclari Scriptores ſunt ſecuti, videlicet
NICETAS ACOMINATUS, ſeu CHONIATES, inter proceres Conſtantinopolitanos.
GERMANUS II. *Patriarcha Conſtantinopolitanus.*

NICE-

Nicephorus Blemmidas *Monachus, & Presbyter.*
Joannes Wechus, ſive Beccus, *Patriarcha Conſtantinopolitanus.*
Georgius Pachimeres, *Presbyter Nicaenſis.*
Maximus Planudes *Monachus.*
Barlaamus Hieracensis *Epiſcopus.*
Gregorius Acyndinus, *Theologus.*
Theophanes *Archiepiſcopus Nicaenſis.*
Nicolaus Cabasilas *Archiepiſcopus Theſſalonicenſis.*
Gregorius Palamas *Archiepiſcopus Theſſalonicenſis.*
Demetrius Cydonius *ex Aulico Monachus.*
Joannes Cyparissiotus, *Theologus.*
Joannes Cantacusenus *ex Imperatore Monachus.*
Manuel Calecas, *Theologus Dominicanus, natione graecus* &c. &c

Pagina 36. *poſt lineam* 31.

Inferendum fuit quod ſequitur:
Andreas Sauſſay in *continuatione Libri Roberti Bellarmini de Scriptoribus Eccleſiaſticis Tulli* 1665.
Joannes Hallervodius *in Bibliotheca curioſa antiquiorum Eccleſiae Doctorum & claſſicorum Auctorum Regiomonti* 1676. *forma quarta.*
Tobias Magirus in *Eponymologio Critico. quod anno* 1687. *accuratius edidit Chriſtianus Eubenius.*

Pagina 37. *Linea* 2.

Addendum fuerat: *Idem veterum aliquot Galliae, & Belgii Scriptorum Opuſcula ſacra, nunquam edita e MSS. Bibliothecarum Galliae evulgavit Lugduni Batavorum* 1718.

Eadem Pagina, linea 9.

Omiſſus Aſteriſcus * cum ſubjecta Nota: *Qui & in Indice librorum Tractatui de ſtudiis monaſticis adjecto Bibliothecas eccleſiaſticorum Scriptorum plures commonſtrat.*

Eadem

Eadem Pagina, linea 12.

Inſere:

Joannes Gottfridus Olearius in *Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum, ad quam anno* 1711. *Præfationem adjecit Joannes Franciſcus Buddæus.*

Henricus Bœklerus in *Bibliographia critica, & in Libro de Scriptoribus Græcis, & Latinis.*

Petrus Bailius in *Dictionario Hiſtorico Critico.*

Eadem pagina, poſt lineam 25.

Omiſſa fuerunt iſta verba: *Et in Bibliotheca Latina.*

Et proxima linea:

Joannes Clericus *in Bibliotheca Selecta.*

Pagina 38. *poſt lineam* 2.

Addendum: *Anecdota veterum Patrum Latinorum Opuſcula a Canonicis Regularibus S. Salvatoris, Bononiæ* 1750. *in lucem emiſſa.*

Pagina 39. *ipſo capitis fine*

Apponatur:

Agmen longiſſimum claudat Thomas Ittigius, Theologus Lutheranus Tractatu de Bibliothecis, & catenis Patrum, variisque veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum collectionibus Lipſiæ 1707. *Præter alios hanc ſcriptionem laudat Joannes Albertus Fabritius, diſcipulus ejus: ſpondetque in Bibliotheca Latina (ante Tertullianum) ſe ad calcem Bibliothecæ græcæ, quidquid in ea prætermiſſum foret accurate ſuppleturum. Jungendum iſti ejusdem Ittigii ſchediasma de Auctoribus qui de Scriptoribus egerunt cum Auctario, & Annotationibus Ludovici Lipſiæ* 1711. *Sed hoc nuſpiam hactenus ad meas manus pervenit.*

Pagina 44.

Epiphanius poni debebat ante Hieronymum.

Pagina 45. a *linea* 34.

Loco: *alios Patres, ne nimium excurram, conſulto prætereo, uti Dionyſium:*

Legatur: *Alios locos, ne nimium excurram, conſulto prætereo, uti apud Dionyſium*

Pagina

Pagina 59. *linea* 16.

Poſt verba: *adverſarios conſurgit*, inferendum erat: *Petrus Alix, Theologus Calvinianus, Expoſitioni Epiſtolæ Pauli ad Romanos ſubjecit Epiſtolam, forma Tractatus conceptam, pro defenſione & lectione S. S. Patrum, quæ profecto non eſt negligenda.*

Pagina 66. *linea* 34.

Omiſſum fuit, quod ſequitur: *Boſſuetum in opuſculo, quod inſcribit: Défenſe de la Tradition, & des ſaints Peres. Joannem Giſbert in vera Idea Theologiæ cum Hiſtoria Eccleſiaſtica ſociatæ, a pagina mihi* 255. *usque ad* 268. *Dominum Des Eſſaits in Examine doctrinæ SS. Patrum.*

Pagina 67. *linea* 13.

Iterum omiſſus eſt aſteriſcus * poſt verba: *oppoſitum eſt;* qui ita habet: *Barbeyracius quidem Ceillierio reſpondit; verum & iſtud reſponſum confutavit Frater Concina Theologiæ Chriſtianæ Tomo VI, Diſſertationis prolegomenæ capite* 2.

Pagina 74. *linea* 27.

Inſerantur ſequentia: *Memorabile hoc loco eſt, quod Spondanus ad annum* 1579. *de Moſchis, populo quam maxime barbaro annotavit: Sacerdotibus ſcilicet eorum in mandatis datum, uti non ipſimet formarent conciones dicendas ad populum, verum Sclavonice redditos græcos Patres prælegerent.*

Pagina 75.

Poſt aſteriſcum duplicem & ſubjectas Notas addendum: *Cui jungendæ orationes Joannis Alberti Fabritii Hamburgi* 1703. *in folio editæ:* Vetereſne recentioribus, an priſcis noſtra ætas palmam ingenii concedere debeat.

Pagina 80. *linea* 25.

Omiſſus aſteriſcus, & ſubjecta illi Nota: *Cicero Libro* 2. *de Divinatione ait: Majoribus noſtris ſine ratione dicentibus rationis eſt credere.* Tantum nos

Chriſtiani minime exigimus; quamquam jure multo potiore id poſſemus.

Pagina 117. *linea.*

Addatur: *Nec negligendum ejusdem Billii Locutionum græcarum volumen: Roberti Conſtantini Dictionarium Græcum & Latinum. Et gloſſarium ad Scriptores mediæ, & infimæ græcitatis Caroli du Freſne, domini du Cange.*

Pagina 163. *linea* 11.

Loco: *Recte monet, uti omnem ordinem rectum putemus*: Lege: *bene monet, uti omnem ordinem rectum putemus.*

Pagina 165. *linea* 3.

Loco verborum: *Namque iſti*: corrector repoſuit: *Nam ſi iſti.* Male; ita enim turbatur tota ſententia.

Pagina 169. *linea* 15.

Corrector habet: *Moleſtiam iis exhibent:* Ego vero ſcripſeram: *Moleſtiam iis exhibuerunt.* Nam *præſens tempus* obſcurat ſenſum, & omnino huc non facit.

Pagina 178. *linea* 18.

Eſt inſerendum: *Seneca diſerte Epiſtola* 98. *a faciente diſcendum monet, quid faciendum ſit.*

Pagina 214.

In Nota impreſſum fuit: *Sileo Librum Bedæ de Tropis S. Scripturæ*; ſed debet legi: *ſileo Librum Bedæ, ac Iſidori Hiſpalenſis de Schematibus & Tropis.*

Pagina 220.

In fine aſteriſci * addatur. *Vide Alphonſum Salmeronem in Præfatione ſuorum operum ad Lectorem, ubi docet curioſe, profanos ipſos ornatui aliquando perparum tribuiſſe.*

Pagina 235. *linea* 12.

Omiſſum fuit quod ſequitur: *S. Cyrillus Alexandrinus homiliarum Paſchalium plurium initiis, præſertim* 16. & 22.

Pagina

Pagina & linea eadem

Poſt verba: *Libro* 1. addendum fuerat: *Libro* 5.

Pagina eadem ipſo capitis fine.

Omiſſa fuerunt ſequentia: *Multos etiam fontes qui pompam atque delicias ſermonis vitare docent, reperias licet apud Joannem Molanum in Bibliotheca materiarum, verbo*: ELEGANTIA.

Pagina 252. *linea antepenultima*

Addatur: *Alphonſum Salmeronem Tractatu in Acta Apoſtolorum: Joannem Erardum Fullonium ad finem Prolegomenorum Commentarii in Libros Macchabæorum.*

Pagina 253. *in fine*

Poſt Notam adjice. *Vitia autem in profanis, etiam ſummis majora multo quam in ſacris reperiri docet Alphonſus Salmeron Tomo I. Commentariorum, pagina* 397.

Pagina 255. *linea penultima*

In Nota loco: *Libro VII epiſtola* 30. legendum eſt: *Libro VII. Hiſtoriæ Naturalis capite* 30.

Ibidem poſt hæc ipſa verba

Addendum: *Et ex noſtris apud Lactantium Libro III, divinarum Inſtitutionum cap.* 13. *S Hieronymum Prologo Quæſtionum hebraicarum: S. Auguſtinum Libro de Magiſtro cap.* 5. *S. Paſchaſium Ratbertum Prologo in Evangelium Matthæi.*

Pagina 275. *poſt lineam* 11.

Tantum ſibi ſumpſit Emendator meorum librorum, ut ſpecimen, quo locum Baſilii magni cum loco Libanii conferebam, pro libitu ſuo immutaret totum. Hanc autem cur id fecerit in adjecta ſchedula rationem allegavit vir ſagaciſſimus. Wenn ich den neuen Aufſatz * gemacht hätte, würde ich etwas von dem Erſteren ausgelaſſen, und was noch mehreres, nachfolgendes aus der Homilie des heiligen Baſilius ange-

* Ita vocat locum eum ad verſionem novam Garnerii correctum.

angeſetzet haben; denn das Vorige ſcheint auf das Abſehen des Auctors nicht vollkommen gerichtet zu ſeyn. *Nempe melius ille videbat, quo ſpectem, quam ipſe vidi. Itaque ſpectandum de integro fuit; ſed quantumcunque ſpectarem, deprehendi ſemper omnia ea, quæ ſubjecit, pertinere nullatenus ad propoſitum meum. Ergo cum bona ejus venia liceat omnia quæ a verbis,* ſine hoſtibus enectus *ſibi addenda exiſtimavit, inducta mea ſpongia extergere.*

Pagina 280. *poſt lineam* 13.

Etiam iſtud adjicias benevole Lector: *Placet & Cyrilli Alexandrini locus de hac ipſa amœnitate temporis verni:* „ Vernum eſt hoc tempus quod nunc „ agimus. Ac mihi quidem videtur ab eo qui & „ linguæ facundia, & ſapientia mentis excellit, „ multis illud verborum veluti ſertis ornari poſ- „ ſe. Ecce namque tetrico hiemis vultu depoſito, „ tanquam deterſo pulvere puris undequaque ſo- „ libus refulget, montibusque & vallibus & ne- „ moroſis ſylvarum receſſibus plenam eximiæ „ pulchritudinis ſpeciem rurſum largitur. Re- „ pubeſcit ſiquidem tellus ac novis frondibus „ undique effloreſcit. Hinc lætus paſtor gratis „ ſtrepit modulis, ac ſtridulum calamo carmen „ inflans ad floridæ ac tenellæ herbæ paſcua gre- „ gem compellit: & ſalientem cum matre juven- „ culam ad gramen depaſcendum bubulcus emit- „ tit. Ac vitium quidem ſe jam novi ſurculi pro- „ ferunt, quæ clavicularum adminiculis velut „ manus arundines complectuntur, ac ſuperad- „ jacentes ſibi arbuſculas inſiliunt (eſt hoc illis „ namque conſuetum ut in ſublime perpetuo fe- „ rantur, ex quo uvarum eximia pulchritudo „ conſpici queat) Prata quoque grata florum „ ſuavitate multis modis redolentia conſuetis mu- „ neribus terræ cultores exhilarant. Innumera- „ bilia alia præterea quis adjungat, per quæ hu- „ jus

„ jus floridæ tempeſtatis laudes dicendo attollat. „ Sed non in eo multum eſt, ut arbitror, ſi tan- „ tummodo ejusmodi laudibus efflore ſcat. Quod „ alia omnia nobilitate ſuperat illud eſt quod „ revixit hoc tempore ſimul cum arboribus na- „ tura, rerum omnium quæ in terris ſunt domi- „ natrix, humana inquam natura. Adducit ſi- „ quidem ad nos vernum tempus noſtri Salvato- „ ris anaſtaſim, per quam omnes in novitatem „ vitæ transformamur, importatam mortis cor- „ ruptionem effugientes. „ *Homilia* 9. *Paſchali.*

Hæc de Libro I.

In Præfatione Libri II.

Pagina VIII. in Nota, poſt verba: *quæ anno proximo ibidem prodiit*, *legenda* ſubjiciendum fuit: *Scriptiones alias ex aliis, quæ pro & contra apologiam deinceps ſecutæ ſunt, nos minime vidimus.*

Pagina XIV. poſt finem Præfationis per noſtram incuriam omiſſa eſt ſcheda, cui iſtud adſcripſimus: *Sed neque eos, conſulere animus fuit qui magno numero de Interpretibus ſacrorum librorum ſcribunt, puta Richardum Simon in Hiſtoria Critica commentatorum novi Teſtamenti: Ludovicum Eliam Dupinum in Prolegomenis ſuper vetus & novum Teſtamentum. P. Jacobum le Long in Bibliotheca Sacra: Joannem Albertum Fabritium in Bibliographia ſacra: Auguſtinum Calmet in Bibliotheca ſacra: Ildephonſum Catelinot Benedictinum congregationis SS. Vitoni & Hidulphi in Tomis tribus majoribus Bibliothecæ ſacræ* &c. *Quod enim plerique Patres in Libros ſacros eosque varios ſunt commentati, horum omnium ſuper eos judicia referre longiſſimum profecto, & tædii plenum futurum erat.*

Quod ſpectat collectores, Libro primo, Diſſertatione ſecunda, capite itidem ſecundo laudatos a nobis,

multo etiam minus poterat fieri uti ſingulos & ad ſingula quidem, quæ continent, opuſcula evolveremus. Laboris erat annorum plurium, fructus laboris minime reſpondens isque incertus; quando ordinem non ſervant in hoc negotio, verum uti res vel animus tulit unum alterum opus dijudicant, reliqua centum aut etiam plura ſine criſi, ſine elogio prætereunt.

Horum loco maluiſſem opus Gallicum Antonii Goudeau Epiſcopi Vincienſis, quod inſcribitur: Elogia Epiſcoporum qui omnibus ſæculis doctrina & pietate floruerunt Pariſiis 1665. Item *Opus anglicum anno* 1763. *Pariſiis in linguam Gallicam translatum, cui titulus: Vitæ Patrum, Martyrum, & aliorum præcipuorum Sanctorum, ex actis originalibus, & ſincerioribus monumentis erutæ, cum Notis hiſtoricis, & criticis. Verum prior illa Scriptio in Bibliothecis incaſſum a nobis eſt perquiſita, altera vero ſerius multo quam par erat, typothetis moram jam non ferentibus ad noſtras manus pervenit.*

LIBRO II.

Pagina 4. *poſt lineam* 16.

Omiſſa ſunt verba: THEODORUS PETREIUS *in Nuncupatoria confeſſionis Tertullianicæ & Cyprianicæ Tertullianum, & Cyprianum Latinorum Scriptorum * eruditiſſimos, eloquentiſſimosque vocat.*

Pagina 9. *Linea* 18.

Adde:

Franciſcus Combeſis in recenſione Auctorum Bibliothecæ ſuæ Concionatoriæ ait: Sunt qui Tertulliani ingenio & charactere plurimum delectentur; quod robuſtum aliquid ac ſententiarum altitudinem ſcabro verborum cortice opertam complectatur; quarum vi & rhetorica enucleatione auditoris animus non parum capiatur. Sic enim fere comparatum, ut quæ viden-

* Sacros intelligit, non profanos.

videntur abſtruſiora, ſcite, artisque induſtria in lucem producta, & admirationem augeant, & magis afficiant; quamquam revera explicata dicendi ratio, (qualis Chryſoſtomi, Baſilii, Auguſtini &c.) ad pulpiti uſum accommodatior ſit.

Pagina 30. poſt linem 30.

Inferatur: *Neque illud omittendum ad eloquentiæ Minutii commendationem, quod transfuſus eſt varias in linguas, & gentibus omnibus loqui cœpit. Ex variis autem illius verſionibus duas duntaxat mihi contigit videre; videlicet Gallicam Domini D'Ablancourt, & Italicam Domini Marci Poletti Clerici Regularis Somaſchæ.*

Pagina 44. poſt lineam 34.

Omiſſum: THEODORUS PETREJUS *de Eloquentia Cypriani quid ſentiret audivimus ſupra in Diſſertatione de Eloquentia Tertulliani.*

Pagina 46. poſt lineam 26.

Iterum omiſſum: *Eandem Cypriani ſuavitatem agnoſcit venerabilis Beda Libro de Templo Salomonis cap. 2.*

Pagina 87. linea penultima.

In Nota: loco numeri 338. alius falſus irrepſit, videlicet 133.

Pagina 92. lineis 26. 27. & 28.

Palmari errore verba mea verbis Cavei commiſta ſunt; quia quæ ſtantibus literis erant ſcribenda, currentibus imprimi curavit.

Pagina 109. linea 16. poſt verba: pag. mihi 310. Omiſſum eſt quod ſequitur: Videri etiam poteſt *Gloſſarium D. du Cange hoc Verbo, & Hiſtoria Literaria Italiæ* P. Zachariæ *Volumine IV. Diſſertatione 2. a pagina 8.*

Pagina 229. linea 25. & ſequentibus.

Verba hæc verſionis latinæ paulo aliter reddenda exiſtimo, ita quidem: *Quod ſi is nonnunquam ab argumento propoſito diſcedit, non ideo illud deſerit;*

eoque omnia tendunt, ut auditorem magis magisque doceat, & erudiat. Negari haud poteſt ubique elucere magni illius viri ingenium, quo abundabant Afri, atque hos inter præcipue Auguſtinus.

Pagina 223. *a linea* 25.

Hoc loco maxime religionem ſuam Emendator noſter oſtendit. Scripſi ego hunc in modum, in quo nec apicem mutari Cenſores voluerunt: „ Amabant autem eum magis, quam imitabantur, „ tantumque ab illo defluebant, quantum ille ab „ antiquis deſcenderat. Foret enim optandum „ pares, aut ſaltem proximos illi viro fieri. Sed „ placebat propter ſola vitia, & ad ea ſe quisque „ dirigebat effingenda, quæ poterat. Deinde „ cum ſe jactaret eodem modo dicere, *Auguſtinum* infamabat. Cujus & multæ alioqui & „ magnæ virtutes fuerunt, ingenium facile & „ copioſum, plurimum ſtudii, multarum rerum „ cognitio . . . . Multo in eo claræque ſententiæ, multa etiam morum gratia legenda, ſed in „ eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosiſſima quod abundant dulcibus vitiis Velles eum ſuo ingenio dixiſſe, alieno judicio. „ Nam ſi aliqua contempſiſſet, ſi parum concupiſſet, ſi non omnia ſua amaſſet, ſi rerum pondera minutiſſimis ſententiis non fregiſſet, conſenſu potius eruditorum quam puerorum amore (*ſunt enim & eloquentia pueri*) comprobaretur. Verum ſic quoque jam robuſtis & ſeveriore genere ſatis firmatis legendus; vel ideo „ quod exercere poteſt utrinque judicium. Multa enim ut dixi probanda in eo, multa etiam „ admiranda ſunt, eligere modo curæ ſit. Quod „ utinam ipſe feciſſet! Digna enim fuit illa natura quæ meliora vellet. Quæ quod voluit effecit. „ Hæc inquam Quintiliani verbis, ſed ſano ſenſu, quaque par eſt reverentia Doctoris noſtri.

Qu

Qui vero ſint imitatores vitiorum ejus, etſi optima mente dici poſſet, non eſt tamen clarius dicendum. Minus enim peccatum eſt ſi Auguſtino vitia dicendi exprobres quam illos ſignifices frigide & contra quam oporteret concionari ſolere. Adeo hodie plus videtur FRATRIBUS deferendum quam PATRIBUS. Hactenus de vitiis quibusdam facundiæ Auguſtinianæ; ſed virtutes etiam ſpectandæ, & expendendæ ſunt.

Ita inquam ego ſcripſi, quod rogo benevolus lector componere cum impreſſis dignetur. Videbit quantum licere ſibi virorum optimus voluerit. Habuerit autem rationes ſuas, cur aliqua omittenda putaret: eccur me minime præmonito, ac velut pro poteſtate id fecit? Hæc temeritas in eam me adducit ſuſpicionem, eſſe & alia in Libris quinque prioribus, ad quæ pariter auctoritatem ac religionem ille ſuam extendit. Patebit iſtud poſt finem operis, ubi quidem, quod nunc minime licet, relegemus & comparabimus ſingula. Certe etiam hac de cauſa Manuſcriptos Libros diligentia ſingulari juſſimus aſſervari.

Pagina 254. *linea* 10.

Ante verba: *Neque ab hac:* fuit omiſſum quod ſequitur: ***Plura in eam rem Dominicus Vallarſius in Nota* 1. *ad Epiſtolam iſtam, prope finem Tomi I. novi.***

Pagina 255. *linea* 4.

Omiſſus eſt aſteriſcus * cum ſubjecta hac Nota: ***Nec omitte in laudem Epiſtolarum Præfatiunculas & argumenta cujuslibet Epiſtolæ, quæ præter morem editionum aliarum quæcunque ibidem præclariora ſint, in anteceſſum prædicant. Habes autem illas, etſi non easdem, in recenti æque, ac in antiquis Editionibus. Laudantur autem præcipue* 30. *nunc* 39. *quæ eſt prior ad Aprum.***

34. *nunc & olim ad Alethium; etſi Sermo eſt non Epiſtola.*
37. *nunc* 13. *ad Pammachium.*
38. *nunc* 25. *ad Jovinm.*
Item 2. *nunc* 24. *ad Severum.*
3. *&* 4. *nunc ſimul* 23. *ad eundem.*
5. *nunc* 11. *ad eundem.*
21. *nunc* 12. *ad Amandum.*
33. *nunc* 42. *ad Florentium.*
39. *nunc* 25. *ad militem quemdam.*

Eadem pagina & linea.

Initium ducit Emendator dijudicandi Pauliniana Carmina. Ego vero ſolicite diſtinxi hoc argumentum, & *linea, ſive verſu novo* tractationem novam ſum exorſus.

Pagina 272. *linea* 19.

Poſt verba: *& cultu oſtendit*, erat addendum. *Franciſcus Combefiſius in recenſione auctorum Bibliothecæ concionatoriæ easdem Livinei homilias ſtilo ſane nitentes appellavit.*

Eadem pagina & linea.

Omiſſum eſt diſcerniculum noſtrum, ſeu verſus novus, quo diſpunximus orationem. Neque enim ſequentia referuntur ad Livineianas, ſed ad omnes univerſe Euſebii homilias.

Pag. 294. *linea* 5.

Addendum fuit:

Sed neque dubitet, P. Demetrium Barbulium Societatis noſtræ, qui Salvianum anno hujus Sæculi 1729. *Piſauri edidit, laboremque ſibi non parvum conſcivit, uti libris ejus Concordantias annecteret, in eloquentia quoque laudanda, & expendenda copioſius diligentiusque verſatum eſſe.*

Pagina 303. *in Diſſertationis clauſula linea* 21.

Adde poſt verba: *in Bibliotheca nova: Adrianum Baillet in vitis Sanctorum ad diem* 24. *Maji.*

Pagina

Pagina 319. *poſt lineam* 21.

Infere: *Franciſcus vero Combefis in Recenſione Auctorum Bibliothecæ concionatoriæ. Ejus ſermones diſertiſſimos* vocat *florentique ſtilo ac majeſtate tanto digna antiſtite cum pari pietatis luce, dogmatumque ſinceritate.*

Pagina 327. *tribus ultimis lineis.*

Ita ego ſcripſi: Guilielmus Cave *de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad annum* 1115. *ita de Bernardo: Literis humanioribus non leviter tinctus, ſcientia Theologica inſtructiſſimus, longe ſupra captum ſæculi quo vixit elegans ac eruditus. Ita hic heterodoxus; ſed nimirum his hominibus nihil eſt novi Bernardi ſcripta celebrare; quando ipſi eorum parentes idem fecerunt. Age enim quoniam laus omnium maxime ex ore hoſtium perficitur, Novatores ipſos referamus. Ea audies quæ profecto minime expectaſſes. Calvinus Libro IV. Inſtitutionum cap. n. §, 10. de Bernardo ita pronuntiat: Ita loquitur ut veritas ipſa loqui videatur. Etſi autem Libros de conſideratione Calvinus allegat, & a laude aliorum abſtinet, in eodem tamen ſcribendi tenore, qualem paſſim in Bernardo deprehendas, ſane nihil obſtat quo minus criſin illam ad univerſa S. Doctoris opuſcula extendamus. Sed magis etiam Lutherus placet qui in Colloquiis convivalibus capite de Patribus Eccleſiæ: Bernardus exclamat, omnes Eccleſiæ Doctores vincit.*

Jam hæc verba mea conferat Lector cum verbis Emendatoris! Scio perbene, cauſari illum, quod Calvinus id loci contra ſummos Pontifices & aulam Romanam Bernardo abutatur? Sed quid mea refert, qui ſcribo, de eloquentia? eloquenter autem ſcribere Bernardum ſi vel ex blaſphemia diaboli haberem, nihil huc dubitaſſem tranſcribere. Lepidiſſimum eſt porro quod excuſare nos nititur, quaſi deceptos a Bollandianis; nam & illos erraviſſe eundem errorem, idque ubi primo Calvinum

vinum aperiebat certo ſe affirmat deprehendiſſe. Nugæ nugarum! Bollandiani non errarunt; quando elogia ab omni ſtatu Bernardo tributa Mabillonium atque Horſtium habent auctores, & ab illis ſolummodo exſcribuntur. Sed neque Mabillonius & Horſtius errarunt; quia in verbis Calvini laudem veram ac bonam retinent, propoſitum vero laudis, intentionemque dimittunt. In hac ſententia fui ego; in hac fuerunt cenſores. Si in alia ſit emendator, non ideo opus, ut expungat eam ex libris iſtis, & auctore ne quidem præmonito illius verba adulteret.

Pagina 342. *linea* 10.

Poſt verba: *Declamationes verò ad eosdem Clericos*, inſere: *etſi ab alio quodam ex Bernardi libris collectæ.*

Pagina 350. *in Nota* 1.

In Nepotianum, *Bieſillam &c.* Emendator noſter ſcribit: *Bleſileam.*

Pagina eadem in Nota 2.

Parte II. cap. 3. *num.* 2. Emendator habet *Parte I.*

Pagina eadem Nota 3.

Poſt verba: *Et correctionem edere parat eximius vir*, Corrector delet τo eximius. Quo vero jure hoc præconium negat Horſtiò, Literis, pietate, & prudentia clariſſimo? cujus etiam vita prælo commiſſa exemplar veriſſimi paſtoris exhibet univerſo Clero ſæculari.

LIBRO III.

Pagina 40. *a linea* 24.

Loco: *Loquaci hæreticorum garrulitati invicta, planeque apoſtolica ſapientia reſiſtens*: Scribendum erat. *Qui loquacibus impurorum, nefariorumque hæreticorum commentis invicta, planeque apoſtolica ſapientia reſtitit: quique ſcriptis ſuis &c. uti antea.* Citatio autem fiat hunc in modum: *Epiſtola* 1. *ad Monachos Ægypti.*

Pagina

Pagina 74. *poſt lineam* 19.

Sequentia ipſe omiſeram: *Franciſcus Combefis in Recenſione Patrum Bibliothecæ ſuæ concionatoriæ de Baſilio: Quem morum*, inquit, *maximum magiſtrum ac chriſtianæ eloquentiæ principem cuncti jure ſuſpiciant, ipſique græci admirati ſunt.*

Pagina 81. *poſt lineam* 5.

Iterum addatur: *Franciſcus Combefis loco jam laudato. Vim ſuadendi*, *ait*, *placido quodam dicendi genere, viro ſingularem, ſtilo nihil turgido, nihil humili nemo ſatis mirari poſſit.*

Pagina 116. *Linea* 24.

Loco: *inter alia hæc habet*: repone: *inter alia iſtuc habet.*

Pagina 120. *poſt lineam* 10. *ab initio.*

Omiſſa eſt ſcheda, cui hæc adſcripſi: *De Gregorii Laconiſmo, indeque natæ obſcuritate ut quidam dicunt, nolo hic niſi pauciſſimis commemorare. Frater Franciſcus Combefis in recenſitis Patribus Bibliothecæ concionatoriæ ejus miram vocat eloquentiam. Quod tamen auctore S. Maximo* (*in Athanaſio*) *ejus character ſit, ut brevi ſermone plura dicat, non adeo facilem explicatu ejus ubique ſententiam eſſe. Et hinc illius tot græcos interpretes putat enatos. At qui generatim hoc accipiunt, næ mihi non omnia Nazianzeni attendere videntur. Laconicus eſt non nego & ſententioſus; verum in utroque ita tenet modum, ut cum ſæpe contrahitur oratio ejus, cum tamen id exigit conditio materiæ, producatur etiam, & quam latiſſime diducatur. Multitudo Interpretum non obſcurum magis quam ſublimem oſtendit. Et eſt duplex ſublimitas Gregorii, uti ante dicebam. Una rerum, altera verborum. Quælibet autem commendationem habet in eloquentia, non vituperium. Sed jam ſatis de charactere; fidenter enim quod hæc ſpectat judicia, ad illius Lectionem provocamus.*

Pagina

Pagina eadem linea 30.

Ut Plinii Junioris verba huc traham: currentibus ſcribatur literis, uti priora; neque enim ego loquor, ſed Caveus.

Pagina 135. *poſt lineam* 14.

Inſere: Franciscus Combefis *in recenſitis auctoribus Bibliothecæ ſuæ concionatoriæ Gregorius,* inquit, *Nyſſenus vir diſertiſſimus.*

Pagina 136. *linea* 2.

Perperam omittuntur ſequentia verba: *Tanta ejus luxuries eſt, ac dicendi majeſtas ait Combefis, ut ægre ad eam aſcendat interpres, ac quandoque nec ſenſum aſſequatur. In recenſitis auctoribus Bibliothecæ concionatoriæ.*

Pagina 139. *linea* 14.

Ab initio appone, quod ſequitur: *Sed uberius fortaſſe Nyſſeni characterem expingunt collectores ejus ultimi Zacagnius & Caracciolus, de quibus infra ſequenti capite redibit ſermo. Vide eorum Proœmia & Annotationes.*

Pagina 173. *poſt lineam* 13.

Inferatur:

Franciscus Combefis *in recenſitis Auctoribus Bibliothecæ concionatoriæ. S. Joannes Chryſoſtomus,* inquit, *ab Apoſtolis maximus Concionator.*

Pagina eadem linea 26.

Loco: Videatur ſummorum virorum: Lege: *Videntur tot ſummorum virorum.*

Pagina 280. *poſt lineam* 10.

Per incuriam omiſſa ſunt quæ ſequuntur:

Gentianus Hervætus *in Nuncupatoria Dialogorum, hæreticarumque fabularum ad Marcellum Cervinum Cardinalem, poſtea Romanum Pontificem, ejus nominis II. Inter ceteros, dicit, græcos Scriptores qui præclara ingenii ſui monimenta in omni diſciplinarum genere literis mandavere, Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, ſi non primum certe inter primos*

locum

locum obtinet. Idem ibidem teſtatur, quod is ipſe doctiſſimus & ſapientiſſimus Princeps, Theodoretum certe propter inſignem ejus doctrinam & eloquentiam ſemper ſingulariter dilexerit, honeſtarit, & ſummis laudibus ornarit.

Pagina 286. *linea* 19.

Loco: non omnibus: *lege* paucis admodum. Poſt hæc vero verba per ſocordiam alicujus pagina integra fuit deperdita, omiſſaque a Typographo. Ita vero illam refarcimus: *Ego vero, dicet aliquis, nihil uſpiam Theodoreti delibavi; quin ergo proprinas hic aliquid, uti ſupra aliquoties feciſti? Nihil eſt recuſandum, ubi precibus agitur, & quoniam nunc maxime aperta & præ oculis ſtant viri volumina, haud ſecus ac limpidiſſimo quodam ex fonte inde hauriemus. En obvium nobis locum quo commoda Oceani expendit. Poteſt autem ſi quis alius inexpertorum veluti guſtum proritare.*

„ Poſtquam de Aëre, de Terra de Fluviis & Fontibus dixiſſet: Ad mare, *ſubjicit*, rurſus te transfer, & illius profunditatem, amplitudinem, fretorum interſtitia, littora, portus, & in medio ejus ſitas inſulas, piſcium item genera, ſpecies, formas, varietatem & amorem quo terras appetunt conſidera! ſimul & fluctuum ſaltus, & providentiæ frænum quod illis injectum eſt inſpice; quo nimirum impediti terras inundare nequeunt, ſed dum contra arenam impetuoſe feruntur poſitos ſibi terminos pertimeſcunt: & dum legem a Deo ſibi latam illic inſcriptam vident, inſtar contumacis equi qui a ſeſſore fræno retractus collum reflectit retroque cedit, refugiunt, quaſi & ejus facti illos pœniteat quod arenis appellere auſi ſunt. Ad hæc per mare terras diviſas videmus, quo etiam ceu ſequeſtro quæ procul inter ſe diſtant in amicitiam coierunt. Concordiam enim huma-

„ no

„ no generi inſerere volens Dominus mutuis il-
„ los operis & auxiliorum neceſſitate conſtrinxit.
„ Per mare longinquas peregrinationes facimus,
„ & ea quibus indigemus a nobis invicem peti-
„ mus ſimulque aliis quæ ipſis neceſſaria ſunt re-
„ pendimus. Nec enim aliquam terræ partem
„ ſummus ille rerum adminiſtrator cultoribus ſuis
„ omnia ſimul ad uſum victumque neceſſaria pro-
„ ferre paſſus eſt; ne nullius indigens copia mu-
„ tuæ amicitiæ noceret. Injuriis enim gaudet
„ rerum ſaturitas, & turbarum parens eſt. Unde
„ in medium telluris mare prominet, quod in
„ plurimos ſinus diviſum ingentis alicujus civi-
„ tatis forum repræſentat, omnem neceſſariorum
„ copiam liberaliter exhibens, multosque tam
„ venditores, quam emptores capiens quos hinc
„ inde dimittit ſimul & adducit. Quia enim
„ profectiones quæ per terram fiunt plenæ labo-
„ rum ſunt (quia non modo laborioſum verum
„ etiam impoſſibile erat ut per has omnis inopia
„ ſarciretur) maris dorſum extendit Deus quod
„ tam magnarum quam parvarum navium capax
„ eſt, quæ neceſſariarum rerum copiam indigis
„ hominibus advehunt. Nam unius navis
„ onera vix aliquot millibus jumentorum vehi
„ poſſe videmus. Ne vero qui per mare iter fa-
„ ciunt nimia afficerentur moleſtia inſulas veluti
„ ſtationes quaſdam rerum Conditor infixit, in
„ quas delati refectis corporibus, & emptis ne-
„ ceſſariis rurſus eo ſolvant quo illis curſus eſt.
„ *Reverere ego beneficiorum multitudinem, dixit ma-*
„ *re.* Magis enim tibi quam Sidoni hæc Pro-
„ phetæ verba conveniunt &c. „ *Numquid vel*
„ *in verſione, minime licet numeroſa, exaudiſti vo-*
cem oratoris, flumina verborum, tractusque ſenten-
tiarum: atque unico ex loco velut ex ungue quod
dicunt leonem agnoſcis?

Pagina

Pagina 303. *ante lineam penultimam.*

Poſt verba: aptiſſimum vocat: inferendum fuit: *Accedit Franciſcus Combefis qui, licet obſcuriſſimus in ſcribendo, etiam ipſe Joannis noſtri ſingularem eloquii puritatem ac facilitatem explicandi difficilia commendat. In recenſitis auctoribus Bibliothecæ Patrum Concionatoriæ.*

LIBRO IV.

Pagina 50. *a pagina* 21.

Hic ingentem deprehendo citationum confuſionem. Sic autem imprimendum erat. *Quæcumque antea ab Auguſtino Libro XI. de Geneſi ad literam capitibus* 1. 31. 32. *Item Libro XIV. de Civitate cap.* 17. *& poſt a Ruperto Tuitienſi Libro II. in Geneſin, ſive de Trinitate & operibus ejus capite ultimo: ac rurſum Libro III. operis ejusdem capite* 10. *ſed & a ceteris qui in Geneſin &c.*

Pagina 171. *poſt lineam* 11.

Inſere ſequentia: Admirabile etiam modeſtiæ exemplar eſt illud Auguſtini *Epiſtola* 119. *hodie* 55. *ad Januarium capite* 21.

„ Hæc tibi ſi ſatis eſſe ad ea quæ requiſiſti non pu-
„ taveris, nimis ignoras & vires & occupatio-
„ nes meas. Tantum enim abſum ab eo quod
„ putaſti nihil me latere, ut nihil in epiſtola tua
„ legerim triſtius; quia & apertiſſime falſum eſt,
„ & miror quia hoc te latet, quod non ſolum in
„ aliis innumerabilibus rebus multa me latent,
„ ſed etiam in ipſis Sanctis Scripturis multo ne-
„ ſciam plura quam ſciam. „

Pagina 197. *linea* 13.

Impreſſum eſt: *Lux utilitate ſe deſtruit:* dele: *Lux.* Ibidem in Nota corrupta fuit citatio, quæ ita habet. *Parte III. cap.* 17. *ſeu admonitione* 18.

LIBRO V.

Pagina 228.

Lego adſcriptam a Correctore notam, quam minime omnium ego expectaſſem. *Editio*, inquit, *Belleri Antwerpiæ* 1614 *habet:* Concione furentes perquam mirabili &c. Quo vero faciat hæc nota non video, niſi forte ad hominis ruditatem atque infantiam declarandam. Adhibui ubique in Chryſoſtomo allegando verſionem Clariſſimi viri Bernardi de Montfaucon, utpote illam quæ ſit præ ceteris accurata, & qua hodie Eruditi omnes utantur. Quid ergo aliam allegat Corrector, & quidem Antwerpienſem Belleri? Sane verſionem Belleri alicujus neque ipſe novi, neque opinor ullus alius Criticorum. Bellerus eſt nomen ſive Typographi, ſive Bibliopolæ Antwerpienſis * qui opera Chryſoſtomi nullo ordine, nullo delectu imprimi fecit ad verſiones variorum antiquas, haud immerito demum abrogatas. Si vir fuiſſet Emendator noſter, ut primum in textu latino aliquid obſcuri deprehenderat, ad fontem græcum, non ad verba interpretis antiquati, ne dicam ad Typographum, aut Bibliopolam debebat recurrere.

Pagina 228.

Qui doctus eſt ſcribit notas, ajebat Burmannus. Hoc & ſibi reputans dictum Emendator noſter, alteram extrudit Notam, ac priori haud abſimilem. Et quam illam? Innuit videlicet erudito Lectori, ſe recurrere ad Editionem ſuam Antwerpienſem, ad ſuum Bellerum. Sed quid facias ei homini qui neque habuit neque novit aliam

* Et fortaſſe fictum. Typi enim, ni me fallit memoria, & charta ipſa ſunt ejuſmodi, ut movere ſuſpicionem poſſint non Antwerpiæ, ſed Coloniæ potius Editionem eam eſſe procuratam.

aliam meliorem, ad quam veluti lapidem lydium Montfauconi interpretationem examinare poſſet? Vah! quando finis erit ineptiarum ejusmodi quæ quam magnum, quamque inviſum, tam inutilem mihi laborem conſciſcunt!

Pagina 229.

Etiam hic deprehendo Notam, quam nunquam ego appoſui, & de qua iterum ne ſomniavi quidem. Docet autem pro me Editionem ſuam Bellerianam habere aliter atque illam Montſauconi. Hoc vero vir bone! te etiam tacente orbis novit. Niſi enim aliter haberent verſiones priores, nunquam profecto nova adornata eſſet. Et cur non centies, atque ſexcenties, quoties nempe, Chryſoſtomum allegamus, ſubjicis Notam, & conſulto oraculo duo doces omnem Lectorem, quod ſcire nemo unus volebat, Editionem Latinam Antwerpienſem legere aliter & interpretari quam Pariſinam Montſauconi? Sed obſcura, ſed dubia erat ſententia? Ergo melior Editio quam ſit iſta, aut quod ante dicebam, fons græcus adeundus fuit.

Pagina 306. *poſt lineam* 17.

Omiſſus eſt ſequens locus:

S. Hilarius Pictaviensis *Commentario in Pſalmum* 35. „ Non eſt otioſus, inquit, ſermo propheticus neque ex inanibus ac ſuperfluis cauſis ſpiritualis loquela eſt. Si enim in viris prudentibus ſpectari id maxime ſolet, ut ea quæ loquuntur gravitate eorum doctrinaque digna ſint, omnisque ſermo non ſit fortuitus & vagus, ſed ex rationabilibus cauſis profectus, & expectationi audientium utilis, & auctori congruus: quanto magis id in cœleſtibus eloquiis opinandum eſt ut quidquid in his eſt divinum, rationabile, & perfectum eſſe exiſtimetur? „

Quid rotundum magis hac periodo! Atque utinam qua facilitate numeri, hac etiam peſpicuitate ſen-

tentiæ hujus ſummi viri univerſa perſcripta eſſent!

Pagina 351. *Linea* 8.

Adde ſequentia: *Sed de Laconiſmo Gregorii Nazianzeni jam ſupra aliquid diximus Libro ſecundo, pagina* 120.

Pagina 362. *in Nota initio.*

Omiſſum eſt nomen Auctoris allegati; videlicet: Syneſius.

Pagina 423. *linea* 28.

Omiſſa ſunt quæ ſequuntur: *Ceterum de jocis, de ſtilo ſatyrico, & qualicunque captatione riſus adjicere hic potes quæ leguntur apud Joannem Baptiſtam Thiers, qui eſt fuſus in hoc genere argumenti. Apud Joannem Giſbert initio Capitis XX de Eloquentia Chriſtiana. In Libro de Eloquentia populari Ludovici Antonii Muratorii cap.* 11. *Et in hoc ipſo opere de Eloquentia Patrum Libro primo Diſſertatione quinta capite* 1. §. 2. *ac Libro duodecimo Titulo: de ſalibus & facetiis inhoneſtis, vel contumelioſis, ſive ſermone, ſive cantu proferantur.*

Pagina eadem linea ultima.

Poſt verba: *Epiſtola* 16. omiſſum eſt: *Libri IV.*

LIBRO VI.

Pagina 186. *linea ultima.*

Omiſſa eſt a me allegatio auctoris ex quo ultimum Specimen Epilogorum fuit deſumptum: Eſt autem: S. Baſilius magnus homilia in Pſalmum 1. Ibidem notandum quod *Linea* 30. legendum ſit *præſentia* loco *præſertim.*

Pagina 188. *linea* 8.

Adde: *Vel* S. CYRILLI ALEXANDRINI *oratio de exitu animi, & de ſecundo adventu. Eſt Tomo V. Parte* 2.

LIBRO VII.

Pagina 197. linea 14.

Inſere quæ ſequuntur; per oſcitantiam enim noſtram omiſſa fuerunt:

S. Chrysostomus ita inculcat omnibus, ne ſe mollesque atque ſocordes in hac vita præſenti exhibeant.

„ Quid igitur? non eſt quiſpiam, inquies, qui & „ hic & illic requie fruatur? Iſtud impoſſibile „ eſt o homo! atque ex eorum numero quæ fru„ ſtra ſperes. Fieri enim non poteſt, non poteſt „ inquam ut qui hic in ſocordia ſecuritateque „ vixerit, qui in deliciis omnibus aſſidue dies „ conſumpſerit, qui temere, neglecteque tranſ„ egerit ætatem, illic honorem conſequatur. „ *Homilia 3. de Lazaro.*

Pagina 237. ipſo initio.

Addenda ſunt quæ ſequuntur:

S. Chryſoſtomus loquens de Demoſthene, qui induſtria, conſtantiaque ſua & balbutiem linguæ & agitationem humerorum feliciſſime ſuſtuliſſet: „ Quia enim, „ ſubdit, Scripturis non obtemperatis, ab exter„ norum exemplis vos admonere cogor. Hoc „ etiam Deus faciebat his verbis: *Abite in inſu„ las Chetiim, & in Cedar mittite: & diſcite ſi mu„ taverint Gentes Deos ſuos. Et ipſi non ſunt Dii.* „ Imo ad irrationabilia ſæpe mittit, dicens: *Va„ de ad formicam piger, & æmulare vias ejus, & „ vade ad opera.* Hoc itaque & ego nunc vobis „ dico: Conſiderate græcorum Philoſophos, & „ hinc ſcietis quanto ſint digni ſupplicio ii qui „ divinas leges transgrediuntur; cum illi pro hu„ mana hac honeſtate labores innumeros pertu„ lerint, vos vero ne pro cœleſtibus quidem bo„ nis parem exhibere diligentiam velitis. *Homilia 17. in Matthæum.*

Pagina 275. a linea 19.

Poſt verba: *Laudes hujus figuræ:* ita eſt legendum; *vide apud S. Auguſtinum Epiſtola* 119. *nunc ad Januarium capite* 11. *alii quoque, præſertim recentiores, ab exemplo Scripturæ & SS. Patrum, a natura ipſa, ab uſu noſtro quotidiano impenſiſſime eam commendant.*

Pagina eadem Linea penultima in Nota.

Impreſſum eſt: *Ceterum profanos in uſus:* ubi omiſſa ſunt hæc tria verba: *Sacros æque ac.*

Pagina 276. poſt Lineam 6.

Omiſſa ſunt ſequentia: *Verum age ad rem ipſam accedamus, ita quidem ut cuilibet ſimilitudini ſententiam præmittamus, quam Pater aliquis ſive probatum, ſive declaratum ibat.*

Pagina 319. linea 13.

Poſt verba: *Patres ſummopere excellunt:* inſeratur Aſteriſcus cum ſubjecta hac Nota: *Eſt autem hæc propria Chryſoſtomi figura ut qui ſummus profecto ſit artifex in attollendo & exaggerando. Neque ipſius rem exaggeravit Franciſcus Combefiſius, quando ſcripſit in recenſitis Auctoribus Bibliothecæ ſuæ Patrum Concionatoriæ, divine compoſitas,* illius *Exaggerationes, ſeu expreſſiones.*

Pagina 361.

Ante ſpecimen Baſilii Seleucienſis inſerendum eſt: *Longum item, neque minus elegantem dialogiſmum ſuppeditat divus Hieronymus Epiſtola 8. nunc 130. ad Demetriadem:*

„ Cum jam nuptiarum appropinquaret dies, &
„ futuro matrimonio thalamus pararetur, ſecre-
„ to, & abſque arbitris, noctemque habens pro
„ ſolatio, talibus ſe fertur armaſſe conſiliis:
„ Quid agis Demetrias? cur pudicitiam tanto
„ pavore defendis? Libertate opus eſt & audacia.

„ Quæ

„ Quæ ſic in pace metuis, quid faceres in martyrio perpetiendo? Quæ tuorum vultum ferre non potes, quomodo ſuſtineres tribunalia perſecutorum? Si te virorum exempla non provocant, hortetur, faciatque ſecuram beata martyr Agnes, quæ & ætatem vicit & tyrannum: & titulum caſtitatis martyrio conſecravit. Neſcis miſera, neſcis cui virginitatem tuam debeas. Dudum inter barbaras tremuiſti manus, aviæ, matrisque ſinu & palliis tegebaris. Vidiſti te captivam, & pudicitiam tuam non tuæ poteſtatis. Horruiſti truces hoſtium vultus: raptas virgines Dei gemitu tacito conſpexiſti. Urbs tua, quondam orbis caput, Romani populi ſepulchrum eſt, & tu in Libyco littore exulem virum exul ipſa accipies? Quam habitura pronubam? quo deducenda comitatu? Stridor Punicæ linguæ procacia tibi Feſcennina cantabit? Rumpe moras omnes. Perfecta Dei dilectio foras mittit timorem. Aſſume ſcutum fidei, loricam juſtitiæ, galeam ſalutis: procede ad prælium. Habet & ſervata pudicitia martyrium ſuum. Quid metuis aviam? quid formidas parentem? Forſitan & ipſæ velint quod te velle credunt. His & aliis quam pluribus inflammata ſtimulis, omnem corporis cultum & habitum ſæcularem quaſi propoſiti ſui impedimenta projecit. Pretioſa monilia, & graves cenſibus uniones, ardentesque gemmæ redduntur ſcriniis, vili tunica induitur, viliori tegitur pallio, & inſperata aviæ genubus repente provolvitur, fletu tantum & planctibus quæ eſſet oſtendit „ &c.

Pagina eadem linea 23.

Poſt verbum: *Baſilius* omitte *το alter.*

LIBRO

LIBRO VIII.

Pagina 45.

Locus S. Bernardini Senenſis ita habet.

„ Teſtis eſt (mihi) conſcientiæ Deus, quod ſi quan„ do cœleſti gratia largiente exterioribus curis „ exemptus laudibus Virginis valeo totus vel per „ horulam occupari, tanta mentis lætitia ſaucior, „ tanta interius ſuavitate perfundor, ut cunctis „ mundi vanitatibus & concupiſcentiis concul„ catis nil malim aut appetam quam cum ipſo „ lætitiæ impetu, * ſi daretur, exilire ſtatim ad „ Dominum, antequam illud gaudii ſpiritalis cu„ ris iterum redeuntibus auferatur, & ſtimulante „ memoria delictorum cythara mihi vertatur in „ luctum, & jubilus pro dolor! in lamentum. „ Vide igitur quantæ ſit felicitatis, & gloriæ in „ illa patria Dei genitricem & Virginem bene„ dictam, ſtipatam ordinibus Angelorum, choris „ Virginum comitatam vultu pleniſſimo gratia„ rum in ſuæ dignitatis ſolio præſidentem reve„ lata jam facie contemplari; quandoquidem in „ ſordibus carnis adhuc & mundi luto degenti„ bus tam læta contingit in ejus nominis con„ templatione ſentire. „ *Eſt hic Locus Tomo IV. hujus Sancti Sermone* 3. *de glorioſo nomine Mariæ, initio.*

LIBRO IX.

Pagina 142. *poſt paginam* 20.

Inſere: S. Asterii Amaseni *oratio in SS. Principes Apoſtolos Petrum & Paulum,* atque *aliæ quædam generis demonſtrativi.*

Pagina

---

* Alius legit *Spiritu.*

Pagina 146. *poſt linem* 2.

Adde: *Multa item transferri huc poſſint quæ dabimus Libro undecimo Titulo: De Scriptura divina, tam in locis quam in fontibus aliorum locorum.*

Pagina eadem Linea 5.

Poſt verba: *Adverſus Marcionem:* ſupple: *Euſebium Cæſarienſem Canonibus decem de conſonantia quatuor Evangeliſtarum.*

Pagina 156. *linea penultima.*

Poſt verba: *S. Damaſcenus:* omiſſum eſt: *fere.*

Eadem Pagina linea ultima.

Poſt verba: *idque perparce* addatur: *Junge illi Bartholomæum quemdam Monachum Edeſſenum in Syria, qui vixit eadem ætate, ediditque Refutationem Alcorani Mahometis apud Stephanum le Moine in variis ſacris. Theodorum Abucaram Diſputatione contra Saracenos, Judæos, & Tritheitas: Et ex poſterioribus Petrum Cluniacenſem Epiſtola ad S. Bernardum de Translatione Alcorani ex Arabico in Latinum: item Summula quadam brevi contra hæreſes, & ſectam diabolicæ fraudis Saracenorum ſive Iſmaëlitarum. Nicolaum de Cuſa Cardinalem in cribratione Alcorani. Æneam Sylvium, poſt Pium II. Pontificem, epiſtola 396. ad Mahumetem principem Turcorum contra errores Mahometis: Dionyſium Carthuſianum Tractatu laudatiſſimo contra Alcoranum. Joannis Cantacuzeni Libros quatuor Apologeticos contra Saracenos, & orationes quatuor contra Mahumetem ego non vidi.*

Pagina 169. *linea* 28.

Poſt verba: *Ex anecdotis Muratorii nondum implet:* adde: *Sed nec fragmentum fuſius de Diis gentilium a Franciſco Maria Süares editum apponit.*

Pagina 172. poſt lineam 28.

Hæc ſunt a me omiſſa - - a Friderico Leonard Pariſiis 1669. voluminibus duobus formæ majoris. Deſideratur tamen editio multo melior. Atque utinam illam cujus ſpem Trivultienſes ad annum 1736. pagina 1582. fecerunt, quamque vir ſummus Tourneminius curatiſſime dirigebat, aliquando lucem publicam aſpexiſſet!

Pagina 174. poſt lineam 19.

Inſere: JACOBUS NISIBITA *Romæ a Nicolao Antonelli, poſtea Cardinale, Armenice & latine.*

Eadem pagina, poſt lineam 31.

Inſere: JOANNES WECCUS, *ſive* BECCUS *in Collectione Leonis Allatii.*

Pagtna 178. poſt lineam ultimam.

Inſere: *Ratherius* nondum collectus prodiit.

Pagina 182. in fine.

Nota impreſſa ſic legatur: *Videatur Le Cerf in Bibliotheca Maurina, qui magno candore de collegis illis ſuis judicium tulit. Accedit ejusdem congregationis doctorum hominum Hiſtoria a Taſſino nuper in lucem emiſſa.*

Pagina 204. linea 24.

Omiſſus: *Daniel Georgius Morhofius Polihiſtoris Tomo I. Libro 3. de excerpendi ratione: Et Libro I. cap. 21. de locorum communium Scriptoribus.*

Pagina 210. linea 12.

Impreſſum eſt: *Tum ergo ſolum citare potes etſi opus non eſſet ut id faceres:* Loco: *Tunc ergo ſolum citare potes ubi opus non eſt citare:*

Pagina 229. linea 14.

Legitur: *Imitamur a pueris;* ſcripſi autem ego: *imitamur a puero.*

Pagina 239. *a linea* 28.

Mutilatus eſt locus Theodoreti, qui ita habet: *Expoſitionem aggrediamur, hoc unum a Lectoribus poſtulantes ne furti nos inſimulent ſi quid quod a Patribus dictum ſit, in his Commentariis oſtenderint. Fatemur enim & nos ab illis explanationis occaſionem accepiſſe. Hoc autem non furtum appellari debet, ſed paterna hæreditas. Quamquam ad illa quæ ab eis accepimus adjunximus quæ noſtra ſunt, & quod latius a quibusdam explicatum eſt nos contraximus; quod autem diligentiam requirebat dilatavimus.*

Pagina 243. *linea* 29.

Poſt verba: *pariter ignoravit:* omiſſum eſt quod ſequitur: *Nec eſt dicenda eloquentia, ait Auguſtinus, ſi perſonæ non congruit loquentis.*

Pagina 246. *linea penultima.*

In Nota legitur: *in eodem;* ſed legendum: *in eosdem.*

Pagina 256. *poſt lineam* 17.

Inſeratur: Sententiam Tertulliani notiſſimam * *Deum de ſuo optimum de noſtro juſtum* ita divus Bernardus diducit: „ Non minus juſtus quam „ miſericors eſt, cui miſericordia & judicium „ decantatur. Verum id quidem, cui vult mi„ ſeretur, & quem vult indurat; ſed quod mi„ ſeretur proprium illi &c. Ex ſe enim ſumit „ materiam & velut quoddam ſeminarium miſe„ rendi. Nam quod judicat & condemnat, nos „ eum quodammodo cogimus, ut longe aliter „ de corde ipſius miſeratio quam animadverſio „ pro-

* Libro de Reſurrectione Carnis cap. 14.

„ procedere videatur. Ipſum audi dicentem : „ *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii , dicit* „ *Dominus , & non magis ut convertatur & vi-* „ *vat?* Recte igitur non Pater judiciorum , vel „ ultionum dicitur , ſed pater miſericordiarum ; „ non modo quod pater videatur miſereri po- „ tius quam indignari, & quemadmodum pater „ filiorum miſeretur timentium ſe ; ſed eo ma- „ gis quod miſerendi cauſam & originem ſumat „ ex proprio, judicandi vel ulciſcendi magis ex „ noſtro. „ *Sermone* 5. *in Nativitate Domini.*

EXCERP-

EXCERPTUM
EX EPISTOLA CLARISSIMI VIRI N. N.
O. S. B.

Ad Auctorem Eloquentiæ Patrum
Kalendis Julii 1774.

Voluptate ſumma perlegi Nuncupatoriam tuam. Venit autem ad manus meas ut primum illa prelum reliquit. Ad congregationem Helveticam dirigitur. Tamen etiam Noſtra, imo quælibet alia ex amore, communioneque Inſtituti ſui hujus gloriæ partem maximam capit. Nec vero gloriæ ſolum verum etiam debitionis gratiarum. Videmus in hac lucubratione varietatem eruditionis tuæ, miramurque ac pudore ſuffundimur quod quæ ſint in noſtram commendationem multo noſti melius quam nos ipſi. Verum juvat tali de cauſa erubeſcere. Certe ſi volo alios ex me ipſo æſtimare, novam ex his literis ſacræ Regulæ æſtimationem concepimus omnes, atque ita duplici ex capite obſtrictiſſimos nos tibi profitemur.

Sed quid de Nuncupatoria altera? illam dico, quam rebus integris agitabas animo, quamque Dilinga ſubmiſſam jam oculis jam pectori admovi. Anteaquam quam tempeſtas erumperet contra ſanctam ſocietatem diligere neminem poteras, qui huc accommodatior fuiſſet. Quid enim eſt honoris, reverentiæ, gratiarum quod non debeatur Archipræſuli Pariſienſium? An vero eloquentiæ ſpecimen illud peribit nobis? non feram, mihi crede, non patiar. Scribam enim, & iterum atque iterum ſcribam, neque deſiſtam faceſſere negotium, dum & iſta Epiſtola Auguſtæ impreſſa ſit. Si exemptum te moleſtia velis, mitte eam quantocyus, inter quiſquilias, ut jocaris, & rejectamenta operis tui collocandam. Eandem expectat impatienter

Reverendiſſimus noſter qui ſalutat te per impenſe, & abſenti licet ſua omnia obſequia defert.

Sed times fortaſſe, ne Patroni poſteriores id ægrius ferant? Apage cogitationem iſtam? Collegæ noſtri qui ſunt in Helvetia non minorem ſive notitiam, ſive exiſtimationem Illuſtriſſimi Beaumontii habent quam nos a Gallia remotiores Germani. Itaque gratulabuntur ſibi, & lætitiis omnibus incedent, quod mutatis adeo temporibus ac rebus in locum tanti Antiſtitis ſucceſſerint, qui eſt decus & ornamentum præcipuum Eccleſiæ Chriſti hodiernæ. Non eſt ergo quod cauſeris amplius, neque aliud relinquitur tibi, quam ut mittas exoptatiſſimum opus: aut quod magis etiam deſideramus, illud ipſemet afferas.

EXCERPTUM ALIUD
EX RESPONSORIA AUCTORIS
VI. Kalendas Julii ejusdem anni.

Quod ſpectat priorem Nuncupatoriam, ut fiat ſatis deſiderio veſtro, mittetur illa ut primum licebit ad Dominos Veithios, qui ſupplemento priorum novem librorum ſubjiciant, emittantque in lucem. Jubebo autem (ſed tacito nomine) præmitti partem epiſtolæ tuæ. Erit illa juſtæ, atque idoneæ excuſationis loco: neque jam mihi id vitio dabitur; verum in eos recidet culpa, quibus negare aliquid ego nefas exiſtimarim.

Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo D. D. Christophoro de Beaumont, *Archiepiſcopo Pariſienſi,* Duci S. Clodovaldi, Pari Franciæ, Regii Ordinis S. Spiritus Commendatori, Proviſori Sorbonæ &c.

Non diu cogitandum fuit, Vir ſumme! cui iſta qualiſcunque lucubratio *de Eloquentia Patrum* deberetur. Ante omnes alios Tu occurrebas animo;

mo; idque pluribus profecto, ac graviſſimis de cauſis. Et prima quidem illa erat, quod neminem ſcirem ætate noſtra antiquis illis Eccleſiæ heroibus ſimiliorem. Quidquid in illis magnum, & admirabile, quidquid e re publica, atque privata, quidquid ad memoriam exemplumque poſterorum: id omne in Te hodie habet, prædicat, ac demiratur univerſus orbis Chriſtianus. Sive enim integritatem, zelum, doctrinam, facundiam conſideramus; ſive certamina certata repetimus animo: omnia Athanaſium nobis aliquem, Baſilium, Ambroſium, Chryſoſtomumve repræſentant. Et iſte quidem ſolertiam celebrat, qua gregem a noxio paſtu prohibes: alter vim, ac robur animi ſuſpicit, quod in Eccleſiæ dignitate tuenda plane invictum oſtendis: tertius ſtilum ſuſtollit, quo hydrum immanem, Lemana e palude prorepentem, dum maxime virus exſibilat, primo ictu confixum, in fugam avertiſti: omnes in Te velut abſolutam Antiſtitis imaginem oculos intendunt: ipſe Chriſti Vicarius Clemens tertius decimus officii ſui eſſe duxit, uti virtutum tuarum & ipſe teſtis accederet, easque ampliſſimis verbis, & ſolatii ſignificatione maxima cohoneſtaret. Atque in tanta viciſſitudine temporum, & voluntatum ſemper idem, nusquam diſcedis a Te ipſo, & quamdiu Eccleſiæ praees comparere non ſuſtines, niſi grande aliquid, & Te dignum præſtiturus. Quod jam tum patuit, cum a diaboli aris revertentes, & minis etiam adhibitis vim facientes extorquere Tibi Corpus Domini nullo pacto potuerunt. Quale ſpectaculum, novum hoc ævo Cyprianum videre, qui Chriſti præceptis obarmatus, & Evangelium manu tenens furentibus obviam iret, atque objectu pectoris defenderet aras, arceret ſacrilegos, aperteque denuntiaret, ante ſuum ſanguinem fuſum iri, quam profano cuipiam divinum ſit traditurus! Hæc inquam & his plura, tot jam annis tam fortiter, tam ſancte, tam ſapienter geſta

a Te

a Te alii alia commemorant. Quo ſane factum, ut amatus a bonis omnibus, & Germanis pæne dixi non minus, quam Gallis tuis cognitus, in ore noſtro quotidie verſareris. En primam cauſam, cur Librum Tibi illum nuncupandum exiſtimarem. Acceſſit altera, ſi non æque publica, propria tamen, & domeſtica Societatis noſtræ, quæ quantum tibi debeat, quo ſtudio graviſſimis temporibus defenſa a Te, culta, atque ornata ſit, nemo hominum ignorat. Legimus & ſuaviſſimo ſenſu reguſtamus *Paſtoralem Epiſtolam*, qua luce palam patrocinium ejus ſuſcepiſti, uti eloquentiæ, ita animi in nos tui locupletiſſimum, ac vocaliſſimum teſtem. Quare & a divo parente Ignatio, & a Sociis omnibus, quotquot ſuperſunt, gratiam ſummam inibo; dudum ſcilicet optantibus, uti extaret monumentum aliquod pietatis ejus, ubicunque gentium atque terrarum; nam quo longius a Te abſumus, eo magis a fuco, & ſpecie aſſentationis removemur. Patere igitur, ut ad pedes tuos deponatur regula, quæ antiquam dicendi formam tradit. Da illi pondus, & auctoritatem nomine tuo; Tibi enim probata nullius conſpectum verebitur, & majorem hoc uno ſuffragio, quam aliorum elogiis, atque præconiis omnibus celebritatem conſequetur. Recipe inquam pignus hoc animi in Te noſtri, & Societatem ab oculis licet ſubmotam, deinceps quoque amare, ac tueri pergito. Erit illa, mihi crede, officiorum memor; & tam in cordibus alumnorum, quam in Annalibus ejus æternum vives. Dominus, ac Redemptor noſter, de cujus Eccleſia tam præclare es meritus, calamitoſo hoc tempore ſoſpitem te nobis quam diutiſſime, atque incolumem ſervet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

4-1